



1  
20

24

30

3

3

3



9853

No. 1023.

PRAESCRIPITIO  
IMMUNITATIS A TRIBVTIS  
PRAESERTIM QVOAD  
AERARIVM PVBLICVM SAXONIAE  
IMPVGNATA

---

DISSERTATIO  
QVA  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

D. XV. IVLII MDCCLXXVIII.

AD SVMMOS IVRISPRVDENTIAE HONORES  
VIAM SIBI PARAT  
CAROLVS WILHELMVS WINKLER  
LIPSIENSIS  
I. V. BACC. ET NOT. PVBL. CAES.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA



ILLVSTRISSIMO  
S. R. I. COMITI  
DETLEV CAROLO  
AB EINSIEDEL

DOMINO HEREDITARIO IN WOLKENBURG,  
KAVFVNGEN, EHRENBURG, SAATHAYN,  
MVICKENBERG ETC.

SERENISSIMO ELECTORI SAXONIAE

SACRARVM LARGITIONVM

NEC NON

SACRI CVBICVLI COMITI

ORDINIS MILITARIS D. IOANNIS EQVITI

ET

DESIGNATO GVBERNATORI LARGOVIENSI

ILLVSTRISSIMO  
S. I. COMITI  
DETLEVO CAROLO  
AB FINSIEDEL  
DOMINO HEREDITARIO IN WOLKENBERG,  
HAYNGEN, FINKENBERG, SAATHAN,  
MAICKENBERG etc.  
SERENISSIMO ELECTORI SAXONIAE  
SACRARVM LARGITIONVM  
NEC NON  
SACRI CAESARVM COMITI  
ORDINIS MILITARIS S. IOHANNIS EQVITI  
ET  
DESIGNATO GOVERNATORI LARGOVENSIS



ILLVSTRISIME COMES,

**I**gnosce, quod, cum hicce libellus meus  
formidolosus ac timidus, non auderet  
absque tutamine in publicum prodire,  
ipsi permiserim TVVM praesidium  
implorare, quem non solum praeter ipsum, qui  
TIBI insidet, litterarum ingentem amorem, ego  
scirem rei, de qua scribere suscepi, intelligentem  
iudicem, sed etiam vniuersa patria aerarii pu-  
blici fidum tutorem ac sapientem patronum co-  
gnosceret. Accipe igitur huius rei causa inter  
tot ciuium innumeras gratias meas quoque, ac  
recipe

recipe in sinum TVVM hanc dissertationem  
meam, atque concede, ut, quae nihil prorsus com-  
mendationis habet, ea, solo TVI nominis splen-  
dore tolerabilis videatur. Ego pro sempiterna  
TVA salute, domusque TVAE ILLVSTRIS-  
SIMAE incolumitate pia vota faciam et summo-  
pere rogo, velis inter clientium TVORVM  
numerum recipere TVI,

COMES ILLVSTRISIME

Lipsiae  
d. 15. Iulii  
MDCCCLXXIX.

observantissimum cultorem

CAROLVM WILHELMVM WINCKLER.





## PROOEMIUM.

**S**i sensus ille internus, innatus hominibus, quem patriae amorem vocant, studiumque ipsi inseruendi tam late patet, ut non solum viros in alto reipublicae culmine constitutos aut rei militari deditos, quod omni aevo factum videmus, ad res praeclare gerendas incitare soleat, sed etiam reliquos reipublicae ciues deceat, iisque laudi sit; quid mirum, si ego, scribendi materiam quaerens, talem elegerim, qua et ipse tentarem possimne publico commodo aliquid, quamuis leuissimum, augmentum addere. Equidem non ignoro imprimis in altera disputationis parte, me rem mihi tractandam sumsisse, quae accuratam tributorum Saxoniorum naturae, ac rationis, quae Principem et Ordines Prouinciae intercedit, cognitionem omnino desiderat, cuius tamen inopia huic iuuenili aetati condonanda videtur, idque ipsum spem mihi iniicit haud leuem me, si aliquando errauerim, eo facilius veniam ab aequis lectoribus esse impetratum, imprimis si cogitent, se opus omnibus numeris absolutum a me expectare non posse. Huic rei alia accedit difficultas, penuria nempe scriptorum hac de re, quibus, quemadmodum in rebus ad aerarium Saxonicum pertinentibus plane, sic in reliqua immunitatis praescriptione ut plurimum destitutum aut saltem non satis adiutum me sensi. Cum autem alii sint, qui etiam in rebus aerarium Saxonicum publicum concernentibus iuri communi, sub quo tum Romanum tum Imperii Romano-Germanici ius intellego, multum tribuant, alii contra inueniantur, qui hoc ab illius indole ac ratione plane exulare

iubeant, nos, vt vtrisque satisfaciamus armis vtrinque petitis pugnare conabimur.

## SECTIO I.

de

### *Praescriptione immunitatis a tributis secundum ius commune.*

#### §. I.

*Definitio Praescriptionis, et quaedam de immemoriali.*

**I**n ipsa praescriptionis notione explicanda, quod omnium primum esse debet, **MODESTINI** vt liceat verbis, qui *l. 3. D. de Usurpat. et Usucap.* vsucapionem vocat, ademptionem <sup>a)</sup> dominii per continuationem temporis lege definiti. Quae, quamuis non fit praescriptionis, sed vsucapionis definitio, quippe quae **MODESTINI** tempore inter se differebant, tamen quoniam post haec omne illud discrimen *l. vn. C. de vsucap. transf.* fuit sublatum ipsaque definitio cum antiquitatis laude, tum auctoris gloria sese commendat, eam potius retinendam et in hoc quoque exemplo illustris legislatoris vtramque coniungendam existimaui. Est tamen, quod ei non sine veritatis aliqua specie obici possit, quasi ea illud praescriptionis genus haud contineretur, quod temporis immemorialis vocant, cum potius verbis *lege definitum* certum determinatumque tempus exigi videatur, cui tamen argumento ita responderi potest, vt secernatur praescriptio e doctrina iuris Romani, ab ea, quae hodie a doctoribus tradi solet. Hanc enim si spectaueris, dubitari nequit, quod si adsint leges recentiores, quae eam sustineant, certe et hanc praescriptionem, commode referri ad eas, quarum tempus lege definiatur, adeoque etiam im-

a) Equidem etfi non ignoro plerumque legi verbum *adiectionis*, *ademptionis* vero rarius inueniri, imo **VLPiani** *fragmentis* et **ISIDORI** *orig.* famam suam debere, tamen cum auctore **SCHVLTINGIO** verbum *adipisci* melius respondeat verbis *capere, vsu capere*, atque adeo facilius sit intellectu, eo vtendum existimaui, quamuis non desint, qui *adiectionis* vocem defendant, et satis ingeniose explicent, **CONTIVS** scil. *disputat. L. I. cap. u.* et **EV. OTTO** *ad Instiur. tit. de vsucap.*

memorialem praescriptionem nostrae definitioni subiicere. Quodsi vero solum ius Romanum spectaueris, laudandam potius eam definitionem esse intelliges, quod temporis immemorialis, vt vocant, praescriptionem sub se non comprehendat, cum haec anomala praescriptio nonnisi ex peruersa interpretum ratione in forum irreperit, qui, vti egregie a viris doctis fuit demonstratum, <sup>b)</sup> huius praescriptionis vestigia eiusmodi in legibus <sup>c)</sup> sibi inuenire vili sunt, e quibus tamen, si vel summam verbis vim intuleris, nullam praescriptionis immemorialis cogitationem elicies. Triplex igitur nostris temporibus (si praescriptionem annuam Saxonicae exceperis, quae huius plane loci non est) praescriptio dicenda, longi, longissimi atque immemorialis temporis quarum duarum specierum e legibus Romanis originem ducentium vna vel altera, in quaui ciuitate, quae ius Romanum recepit, si qua controuersia temporis lapsu finienda sit, eaque ex iuris Romani decretis dirimatur, adhibenda est, cum e contrario immemorialis, quoniam, vt dixi, non ex ipsis legibus, sed ex peruersa eorum interpretatione manauit, non nisi rarissime, ac meo quidem iudicio nec in omnibus quidem iis locum inueniet, quas ei subiectas doctores existimant. Etenim, quod dicunt vel in rebus testamento aut pacto familiae alienare prohibitis, <sup>d)</sup> vel in fundi dotalis distractione, <sup>e)</sup> ei aliquam vim inesse, id mihi tantum a veritate

## A 3

b) TRENMANN *diff. Praescriptionis immemorialis origo Romana impugnata*. Lips. 1771. HOEISEL *de Praescriptione immemoriali sanae rationi ac iuri civili contrariae*. Halae 1724. IDEM *de fundamentis praescriptionis cautius ponendis*. Halae 1723.

c) l. 1. §. 23. l. 2. §. 1. 3. et 7. l. 23. §. 2. l. ult. ff. de aqua et aquae plu. arce. l. 3. §. 4. ff. de aqua quorid. quibus nulla occurrit species, quae praescriptionem admittat; cui accedit, quod vox *vetustas* de 40. imo auct. BRISONIO de 10. vel 20. annorum spatio sit intelligenda. l. 2. C. Theodos. de longi temp. praescript. et arg. l. 57. ff. de ritu nupt. diuturnitas enim et vetustas synonyma fere sunt.

d) Miror sane LUD. MENKEN in ff. hanc praescriptionem e l. 3. §. 3. et *Aurb. res quae C. commun. de legat. l. fin. C. de rebus alienis non alienandis l. 28. ff. de V. S.* hac in causa defendere conatum esse, cum omnes illae leges ne verbum quidem de eiusmodi praescriptione dicant. Eadem opinio-  
ne ducitur BERGER *Oec. Iur. Lib. II. Tit. II.*

e) arg. l. 30. C. de iure dor. Si enim praescriptio, de qua hac lege agitur non nisi ex eo tempore currere debet, quo mulier agere potuit, quaesito ratione tempus hic obuenire potest, cuius memoria non extat



ritate recedere videtur, quantum communis illa Pragmaticorum opinio recedit, omnia illa, quae reliquis praescriptionibus acquiri vel extinguere nequeant, ea posse immemorialis temporis praescriptione vel accipi, vel omitti, quippe quod haec sententia nullis argumentis demonstrari potest. Ego itaque sic sentio; si qua sit immemorialis praescriptio, eius rationem in solis per ipsas leges hodiernas expressis exemplis, nempe in specie Receptu Imperii d. a. 1548. <sup>f)</sup> notata, in acquirenda venatione, <sup>g)</sup> iure coquendi vendendique cerevisiam, <sup>h)</sup> in terris Saxonibus, esse habendam.

## §. II.

*Eorum argumenta refutantur, qui praescriptioni ordinariae vim aduersus tributa asserunt.*

An vero supra nominatarum trium praescriptionum, vna vel altera ad acquirendam immunitatem a tributis sufficiat, variae sunt doctorum sententiae, quam maxime a se inuicem discrepantes. Inveniuntur enim, qui omnis generis praescriptionem admittendam censent, <sup>a)</sup> utilitate praesertim eius commoti, omnium litium finem eam vocantes. Aliud inde asserunt opinionis argumentum, quod, quemadmodum ipsum ius subcollectandi, imo canonem exigendi, praescribendo, quapropter in legibus munus possessionis vocari solet, <sup>b)</sup> acquiratur, sic e contrario naturale sit, ut ipsa tributorum solutio per praescriptionem tolli possit. Ut autem suae causae eo melius consulant, aliam notam atque receptam iuris regulam adiungunt, scilicet si iudicis mens in ambiguis haereat, pro libertate esse pronuntiandum <sup>c)</sup> comparatione tributorum cum seruitutibus instituta

f) De quo v. §. 5.

g) Scilicet contra Principem *Decis. nouis. IV. d. a. 1746.*

h) *Ordinar. Prouinc. d. a. 1482.* cf. BERGER *Oecon. Iur. L. II. Tit. II. §. 25. no. 10.*

a) CARPZOV *P. II. Const. III. def. 4.* LYNKER *decis. Ienens. GRV. PEN disceptat. forens. p. 936.*

b) *l. 18. §. 25. ff. de muner. et honor.*

c) *l. 47. ff. de oblig. et act. l. 99. pr. ff. de V. O.* cf. BARBOSA *thesaur. ioc. comm. L. 9. c. 17. no. 7. n. et 24.* HARPRECHT *diff. de praescriptione immunitatis a collectis. Tubing. 1693.*

ruta. Prouocant porro ad BRUNNEMANNI <sup>d)</sup> celeberrimi ICtī auctoritatem, qui inter priuilegia et praescriptionem similitudinem quandam intercedere dicit, ita, vt, cum illis immunitas a tributis possit interdum acquiri, pari modo praescriptioni etiam contra aerarium eandem vim potestatemque tribuat. Quae quidem argumenta, quamuis exiguo, imo nullo iuris fundamento nitantur, et vno ideo quasi telo prostreri possint, tamen ordinis seruandi gratia, sigillatim impugnabo. Ad primum autem quod attinet, omnis haec praescriptio, cuius vtilitati tantopere laudatae, quamuis per me nihil detractum velim, tamen a iuris Romani conditoribus tantum ad priuatorum controuersias dirimendas inuenta est, ex quo necessario sequitur, eam ad rempublicam, ac ea, quae huic debentur nullo modo applicari posse. Est igitur ex hac parte praescriptio eo minus commendanda, cum hic non de dominio alicuius certitudine confirmanda, aut de aliqua seruitute acquirenda, aut de retinenda pecunia, aliaue similis papaueris re, verum de eo agatur, sine quo, vt mox ostendam, respublica sustineri nequit. Nec maiorem praescriptioni speciem praebueris, iure tributa exigendi, vel subcollectandi in exemplum adducto; quorum, quum illud ab imperante, hoc a magistratu inferiori exerceatur; vtrumque vero tam alienum ac diuersum sit ab immunitate subditorum a tributis, nullo modo ab vno ad alterum potest concludi, imprimis, cum posterius et in eo a superioribus differat, quod, si tributorum exactio praescriptione acquiratur, id fiat consensu subditorum tributa soluentium, ipsi vero si immunitatem acquirere cupiant Principis aliquod factum, assensum eius significans, allegare nullo modo possint; vt taceam, non omni veritatis specie eorum sententiam destitui, qui omnem praescriptionem a negotiis publicis alienam esse iubeant. Comparationem porro tributorum cum seruitutibus, re ex intima iuris priuati doctrina sumta, si diligentius paullo consideraueris, quam maxime claudicantem inuenies. Quomodo enim tributorum praestatio seruitus esse potest, cum ea in omni republica necessaria sit et ipsa reipublicae notione comprehendatur. Nulla scilicet reipublicae conditio cogitando inueniri posse videtur, quae sumtibus publicae salutis causa faciendis vacare possit: cum vero hi pecuniae semper exigant copiam, haec vero,

d) ad l. 10. C. de vectig. et commiss.

nisi ciues aliquid de suo conferant, vix possit comparari, quisquis intelligit, tributa ad eas reipublicae partes pertinere, quibus sublatiis et reipublicae notionem sustuleris.<sup>5)</sup> Tunc itaque dixeris, omnem rempublicam tributa exigendo, plenam esse seruitutibus, omnibusque subditis seruitutem imponere? BRVNNEMANNI denique testimonium, quod attinet, id valde lubricum mihi videtur, nam de immemoriali tantum dicit praescriptione, quae cum, vt supra vidimus, e iure Romano exulet, locum hic inuenire haud potest, adeo, vt nec ei quidem Canonici iuris praeceptis<sup>h)</sup> a BRVNNEMANNO allatis robur accedat. Etenim decretum illud INNOCENTII III. quo vitur, de singulari plane specie loquitur, nempe de poena haereticorum, quam confiscationem bonorum constituit, cuius causa et pedagogiorum, quidagogiorum et salinariorum<sup>i)</sup> solutioni interdici possit, nisi vel Imperatori, vel Regibus, soluerentur, vel tandem Concilii Lateranensis, aut antiquae consuetudinis beneficio possiderentur. Constat itaque Pontificem h. l. non nisi de exactionibus loqui, quae a priuatis exercerentur, eumque magis confirmare nostram sententiam, cum disertis verbis eos excipiat, quae Principi atque adeo reipublicae competunt. Cui accedit, quod ipsum illud decretum, de acquisito pedagio, quidagio et salinario, agit, non de liberatione ab eo, quae duo, vt iam demonstratum est, ex opposita plane ratione sunt diiudicanda.

### §. III.

*Eorum argumenta impugnantur, qui quadragenariae praescriptioni hae in causa locum esse contendunt.*

Extant vero et alii Icri, qui quadragenariam tantum praescriptionem immunitati a tributis acquirendae aptam dicunt<sup>a)</sup> l. 3. et 4. C. de praescript. 30. vel 40. annor. nec non l. 14. C. de fund. patrimonial.

g) Pessime itaque egit HARPRECHT l. c. cum odiosis annumeraret ius pensiones exigendi.

h) c. 26. X. de V. S.

i) cf. DU FRESNE f. h. v.

a) HARPRECHT. l. c. PHILIPPI *diff. de praescriptione immunitatis a tributis, von Verjährung der Steuern und anderer Obrigkeitl. Anlagen.* Lips. 1685. ib. 14.

monial. auctoritate opinionem suam defendentes, quippe quae quadragenariae possessioni quam maxime faueant, quibus addunt aliud argumentum, speciosum sane, quod nempe vestigialium ac tributorum vna eademque sit ratio, ideoque, et tributis praescriptionem longissimam opponi posse, cum vestigalia eam haud excludant *l. 4. §. 2. l. 9. §. 6. D. de publican.* Vt igitur ab initio quasi aduersariorum arcem aggrediar, quid in *l. 3. et 4. C. de praeser. 30. vel 40. annor.* inuenierint praesidii videamus. Potest autem leuitas eius vel ex eo intelligi, quod dicta *l. 3.* ne vocem quidem immunitatis per praescriptionem acquirendae habeat, longissimo tempore eam tantum vim tribuens, vt, quae actiones ordinario praescriptionis tempore non absoluantur, hac perimantur. *L. 4.* autem, quod attinet prius maiori diligentia eius sensus videtur indagandus, antequam de ea sententiam ferre possim, cum dubitatio adhuc moueri possit, et iure quidem, an haec lex tributis accommodari possit. Etsi enim verba *ius priuatum vel publicum* tributorum quoque causas continere videntur, tamen primo bene notandum est ANASTASIVM Imp. hac lege de iis tantum causis agere, in quibus suo tempore praescriptio iam locum inueniebat, id quod tota lex ostendit, vnde, tributa iam illo tempore praescriptioni obnoxia fuisse, illi probandum foret, qui ex hac lege quicquam collectarum praescriptioni proficuum colligere velit. Quem vero alium sensum verbis illis, *ius priuatum vel publicum* tribuamus? Duplex sane esse potest, nempe, vt primum hisce verbis omnium legum complexum intelligamus, quo, qui sunt in republica, vtuntur, vti TERENCEIVS <sup>b)</sup>, CICERO <sup>c)</sup>, atque adeo PAPINIANVS <sup>d)</sup> intellexerunt, vox vero *priuatum*, pacta conuentionesque priuatorum deuotet, quae leges dicuntur paciscentium, deinde vero, nec hic multum a vero aberraverit, qui *ius publicum* de iis actionibus interpretatus fuerit, quae, priuatis quamuis competant, tamen ex reipublicae natura originem trahunt. Ita enim verbi gratia ex lege Iulia de vi publica praeter accusationem et priuata nascitur actio ad damnum restituendum, quod

et

b) PHORM. *Act. II. Scen. III. v. 65.*

c) *ad Diu. I. 5. IV. 14. pro dom. XIII. 39.* cf. SVETON. in OCTAVIANO c. 10. et BRISSONIVS f. v. *Publicum et Ius.*

d) *l. 77. §. ult. ff. de condit. et demonstrat.*

et in aliis causis obuenire scimus. Quod autem ista l. 4. nullam omnino vim in causis tributorum habeat, maxime ostendit alia lex eiusdem ANASTASII nempe l. 6. C. de praescript. 30. vel 40. an-  
 nor. e) quippe qua Imperator aegre fert, quod sint qui illam legem quartam de tributis interpretentur; ex quo manifeste patet istis ver-  
 bis, ius publicum, tributorum praescriptionem minime sustineri. Nec plus salutis praescriptioni affert l. 14. C. de fundis patrimonial. dispo-  
 nit enim ANASTASIVS haec constitutione, non nisi de dominio fundo-  
 rum, qui olim a fisco possessi, post ad priuatos peruenerunt, quo-  
 rum, per quadragenariam praescriptionem acquirendi facultatem  
 concedit, apposita conditione, vt canonem soluat, qui praescri-  
 bere velit; qua ratione quomodo immunitas a vectigalibus ex hac  
 lege demonstrari possit, equidem non intelligo; quod mihi tam in-  
 dubitatum esse videtur, quo verius est illud vulgare, per excep-  
 tionem ipsam regulam confirmari. Etenim Imperator mox addit qua-  
 dragenariam praescriptionem exemptionis a canone in iis tantum fun-  
 dis patrimonialibus locum habere, in quorum alienatione ipse canon  
 Principis voluntate ademptus esset. Alia enim est ratio priuilegii, alia  
 folius possessionis, per hanc solam edixerat ANASTASIVS, posse domi-  
 nium fundorum de patrimonio Principis alienatorum acquiri, non  
 autem exemptionem a canone, quippe quae solo Principis priuilegio,  
 neque per hoc quidem vnice, sed accedente demum quadragenaria  
 praescriptione comparari possit: vnde ii non audiendi sunt, qui id,  
 quod Imperator tantummodo de causa priuilegiorum dicit, diurni  
 temporis possessioni adscribunt. Progredior ad leges Digestorum 4.  
 §. 2. et 9. §. 6. de publican. quae quidem omnia alia potius sancire  
 videntur, quam immunitatem a tributis praescriptione posse acquiri.  
 Etenim verbum *consuetudo*, in dicta l. 4. obueniens, tam exigui  
 ponderis est, vt potius PAVLLVS ICRUS nihil dicere velit nisi hoc:  
 in vectigalibus imponendis non liberam et arbitriam voluntatem  
 esse spectandam, sed in modo ac ratione eorum aliquid dandum con-  
 suetudini, quae hucusque in locis, vbi imponantur, obtinuerit. Ro-  
 mani enim id omni tempore etiam ab antiquissima aetate imprimis in  
 administrandis prouinciis (de quibus hic ICRUS diserte loquitur) ob-  
 seruarunt, quod inter reliqua exemplum deuictorum Siciliensium f) et

e) de qua §. 6.

f) CICERO in VERREM III. 6.



et mox Macedonum <sup>g</sup>) probat, qui non nisi ea vectigalia Romanis praestitere, quae regibus indigenis pendere consueverunt. Hanc autem Icti mentem, non eam, quam aduersarii ei tribuunt, esse, ex eo etiam intelligi potest, quod hac lege non quicquam praecipitur, nec in vectigalibus imponendis priorem consuetudinem necessario et omnino obseruare iubeat. Lex 9. vero *D. de publican.* meam sententiam magis confirmat, quam ut ei obsit, cum ibi idem PAVLLVS disertis verbis profiteatur, de iis tantum rebus vectigalia esse exigenda, de quibus solui consueuerint. Etenim, quae alia quaesio sententia e verbis: *earum rerum vectigal, quarum nunquam praeslitum est, praestari non potest*, extorqueri potest, nisi haec: de iis rebus de quibus nullum praestare vectigal consuetudinis sit, de iis nec in posterum praestari debere. Ex hoc igitur facillime patet tum hac, tum superiori lege non de personis, quae vectigal pendunt, sed de rebus, quarum causa vectigal soluitur <sup>h</sup>) agi, adeoque neutra probari posse, eos, qui consueta et imposita ciuibus tributa, diurno tempore non praestiterint, ab iis liberari; vnde intelligere egomet non possum, quae ratio PHILIPPO <sup>i</sup>) hac lege praescriptionis causam defendi posse, persuaserit. Adminiculantur sententiae meae porro verba postrema laudatae §. 6. quae nullam omnino dubitationem relinquunt, PAVLLI verba dicto modo esse explicanda, cum diserte, postrema illa §. pars fanciat, indiligentiam publicani, ut legitimis verbis utar, ad immunitatem nihil prodesse, ita, ut ea, quae publicanus omiserit, a successore possint exigi; quo ipso mihi omni in his rebus praescriptioni occurrere videatur.

## §. IV.

*Refutantur ii, qui immemorialis temporis praescriptionem in causa tributorum admittendam censent, et quidem r.) quoad l. ult. C. de fundis rei priu.*

Sunt porro Icti, qui immemorabilem saltem praescriptionem in tributis locum habere putant, bene intelligentes caeteras ad immu-

B 2

nita-

g) LIV. XLV. 18.

h) Quarum apud Romanos vsitatarum integrum catalogum v. in l. 16.

§. 7. ff. de publican.

i) l. c. cf. BARBOSA thesaur. loc. com. L. III. c. 54. §. 7. qui Constitutio-

nitatem acquirendam haud sufficere. Prouocat vero ad stabiliendam suam sententiam tum ad iuris Romani, tum ad iuris Germanici sanctiones. Primum quod attinet *l. ult. C. de fundis rei priu.* <sup>a)</sup> eam duplici de causa in medium proferre solent, vt ipsam nempe immemorabilem praescriptionem iuri Romano inesse demonstrent, deinde vt tributis eam accommodent <sup>b)</sup>, quapropter hanc legem diligentius confideremus, praesertim cum et ego non leue sententiae meae argumentum in ea inuenisse mihi videar. Lata est haec lex ab I. I. THEODOSIO et VALENTINIANO vt aerario consuleretur, quod summam pecuniae copiam temporibus illis turbulentis exigebat. Itaque Imper. principio huius legis <sup>c)</sup> prohibent, ne vllus fundum ab omni canone immunem comparet vel possideat, apposta mox poena, in eos, qui contra fecerint. His intericiunt, nemini praescriptionem, excepto vetustatis auxilio, prodesse debere. Cum vero cardo rei in explicanda voce *vetustas* versetur, age videamus, quid significare possit? Fortasse existimemus, praescriptionem immemorabilem hic intelligi? At iam supra <sup>d)</sup> ostendimus, nulla plane eius vestigia in iure Romano reperiri, nec in toto Corpore iuris vllum locum mihi ostendere poteris, in quo verbum consuetudo vel vetustas ad praescriptionem aliam, quam quae certo annorum numero absoluitur, appli-

tutiones adeo affert, quae consuetudinem eadem ratione spectare iubeant ac PAVLLVS nempe *l. 7. C. de exact. tribut. l. ult. C. de canon. largitorial.*

a) De hac lege cf. RECHENBERG *diss. de vetustatis auxilio reipublicae quoad immunitatem a collectis non opponendo, Lips. 1726. §. 17.* cui tamen, quamuis magni nominis viro vt in omnibus assentiam a me impetrare nequeo.

b) ZIEGLER *de Iure Maiestatis L. II. c. 2. §. 52.*

c) Iuvabit integram legem apposuisse: Nemo dempto canone ad comparationem dominicae possessionis accedat. Quod si quis in posterum ad interdictum contractum accesserit, cum volumus praeria perdere perperuo, nec expensarum vel melioratae rei fructuum exactiōni compensationem opponere, nec temporis sibi contra (nostra) commoda praescriptione (excepto vetustatis auxilio) blandiri; Palatinum etiam officium si quoquo modo contractus eiusmodi fuerit celebratus, vel si ealem petitionem instruxerit, quinquaginta pondi auri poenae nomine inferre priuato nostrae mansuetudinis aerario, nulla liberalitate nostrae clementiae, nulla sanctione contra zanza rei priuatae commoda valitura, licet adnotario, vel diuina pragmatica sit, quae contra verita canonem vendere concedat, vel poenam Palatino remittat officio.

d) §. 11.

applicari possit. Neque vero Impp. istis verbis de quadragenaria cogitare poterant, quippe quae illo tempore incognita adhuc esset, ab ANASTASIO e) demum inuenta, ac in iurisprudentiam inducã. Nulla igitur reliqua est, quam longi temporis et tricennaria, quas THEODOSIUS et VALENTINIANVS per verba *excepto vetustatis auxilio*, si genuina sunt, significare voluisse necesse est. At vero nec vllam harum intellexisse, nec integris verbis *excepto vetustatis auxilio* eum, quem vulgo interpretes solent, sensum attribui posse statim apparebit. Cum enim Impp. hac lege claris verbis dicant, neminem sibi praescriptione contra Principis commoda blandiri posse, hoc vero praescriptionis vocabulo nullam nisi eam, quae longi temporis vel 30. annorum vocatur, quoniam illo tempore praeter has nullum aliud praescriptionis genus notum esset f), secum ipsi pugnant, si quam praescriptionem antea minime admiserant, eandem verbis proxime sequentibus, tanquam exceptionem prohibitionis proposuissent. Idem enim foret, ac si sic elocuti essent: aduersus exemptionem fundorum a canone nulla valet longi temporis praescriptio, excepta tamen praescriptione longi temporis, quae opponi potest. Quod quam ridiculum sit vnusquisque videt. Quomodo ergo ex his angustiis euademus? Sciendum nempe haec verba, *excepto vetustatis auxilio*, non esse verba Impp. THEODOSII et VALENTINIANI, verum IVSTINIANI aut si mauis TRIBONIANI: quod si enim, Nouellam THEODOSII g), latam de rescissione venditionum rei dominicae, ex cuius visceribus ista *l. ult. C. Iust. de fundis rei priuatae* deprompta est, inspexeris, deprehendes, dicta verba ex ea plane exulare, vnde et in plerisque Codicis Iustiniani exemplaribus, ea clauiculis inclusa videbis. Neque, vt diximus, THEODOSIO opus erat, quicquam adhuc addere, cum hac sua lege iam dixisset, nullum fundorum olim dominicalium possessorem, a canone exemptionem, praescriptione acquirere posse. IVSTINIANVS igitur, vel TRIBONIANVS, cum hanc suo Codici insereret, eam non mutare vel tollere, sed retinere, ac idem, quod ille sancire cupiebat, scilicet

B 3

e) *l. 4. C. de praescript. 30. vel 40. annor.*

f) Tricennaria quidem eidem Theodosio originem debet, sed 16. annis antiquior nostra lege est; de qua cf. V. C. mihiq. amicissimi, POHLII *diff. de Origine atque fati praescriptionis longissimi temp. vsque ad Iustinian. Lips.* 1779.

g) v. Codicis Theodos. Vol. V.

prohibere praescriptionem a publici canonis causa, itaque, cum reminisceretur post THEODOSII aetatem nouam aliquam praescriptionem, 40. nempe annorum ab Imp. ANASTASIO esse excogitatam forte veritus est, ne Icti, lecta in Codice repetitae praedictionis ista THEODOSII Nouella, existimarent, se, (IVSTINIANVM, scil.) quoque ex mente THEODOSII sensuque illius legis in tributorum causa nonnisi tricennariam et longi temporis praescriptionem prohibere, quadragenariam vero in nouo Codice circa hanc rem plane omisisse. Haud dubium igitur est, IVSTINIANVM hoc consilio saepe dicta verba intercalasse, vt omnem omnino praescriptionem a causa tributorum arceret, nec sine ratione verbo vetustatis vsus, cum ea vox in iure non solum de longi temporis praescriptione<sup>h)</sup>, sed etiam de quadragenaria adhibeatur<sup>i)</sup>. Ex his igitur, quae diximus, facile patet, ista inserta legi Theodosianae verba ita explicanda esse, vt menti et consilio IVSTINIANI respondeant, quod facere mihi videor, si ea sic interpreter: cum fundi dominici cum exemptione a canone illicite venditi sint, id non solum et nunc absque effectu esse, nec possessores sibi blandiri debere se hanc exemptionem tempore 10, vel 20. vel 30. annorum acquiruturos, sed etiam eosdem neque exceptione quadragenariae immunitatis se tueri posse; ita vt haec verba non aliquam exceptionem a prohibitione praescriptionis possessoribus tribuant, sed potius copulata, cum voce blandiri significant, has proprias blanditias neque excipiendo *vetustatis auxilium*, hoc est, quadragenariam praescriptionem, ali posse? Quisquis itaque ex iis quae de hac lege dicta sunt facillime intelliget, nullam praescriptionem, quae certo annorum numero comprehenditur, ea in causa immunitatis admitti, multo minus immemorialis aliquod fundamentum ea inueniri.

## §. V.

## 2) Quoad Recessum Imp. d. a. 1548.

Alterum argumentum, quo aduersarii praescriptioni immemoriali succurrere student, ex ipsis legibus Imperii Romano Germanici  
est

h) V. BRISSON. *de verbor. signif. f. h. v.*

i) l. 2. C. *Theod. de longi temp. praescript.*

est petium, quae cum praescriptionem immemoriam omnino agnoscat, eo maiori auctoritate eorum sententiam confirmare videntur, imprimis autem negari nequit *Recessum Imperii d. a. 1548.* eam nequaquam respuere. Cum vero nullus in quolibet scriptore locus, nedum in legibus bene accurateque possit explicari, si e verborum serie, in qua legitur, eum eripias, quippe quod antecedentium cum consequentibus copulatio summam in interpretando vim habeat, eo magis et hic istud vitium vitandum erit. Primum autem de ratione legis videam, qua de causa, pauca ex historia Germaniae praemittenda sunt <sup>a</sup>). Premebatur scilicet CAROLVS V. Imp. iam a primis imperii annis perpetuis ferebellis a FRANCISCO Galliarum rege, ipsi ob ereptam dignitatis Caesareae spem, quam maxime infenso, quae cum propriis facultatibus sustinere haud posset, Ordines Germaniae saepius ad arma secum coniungenda commouit. Exigebat haec res maiorem et pecuniae et militum copiam, quam antea conferri in Germania consueuerat, ideoque cum semper de quantitate a singulis praestanda, maximae fuissent discordiae, Ordines Imp. Germ. quo melius pecunia atque exercitus pararetur, CAROLVM adierunt, vt normam praescriberet (matriculam conficeret) secundum cuius tenorem Ordinum quisque imperio subueniret, qui etiam eiusmodi matriculam in comitiis anni 1521. proposuit. Multum autem aberat quin Ordines Imperii ea essent contenti, multi potius se ea nimis oneratos publice dicebant, deminutionem seu moderationem non sine magna contentione flagitantes <sup>b</sup>), et, antequam hoc factum sit, aliquid conferre recusantes. Nemo itaque non intelligit hac ratione saepius factum esse, vt postulata a CAROLO pecunia parata esse non potuerit, quod et ipse Imperator bello contra Turcas a 1542. expertus est <sup>c</sup>). Alia accedebat causa, rem tributariam imp. Romano Germ. non leuiter turbans, exemptio nempe quorundam Ordini-

a) Difficillimum sane negotium est, de historia Comitiorum et Recessuum Imp. praesertim saec. 16. aliquid disserere, nec scriptoribus hac de re exactibus nec documentis actus comitiorum publici iuris factis, neque etiam multum praesidii in scriptoribus historiam Germaniae pertractantibus reperies, qui, quo fiores in reliquis, eo steriliores in hac re inueniuntur.

b) *Recess. Imp. d. a. 1524. §. 21. r. 22. Recess. Imp. d. a. 1526. §. 25. Rec. Imp. d. a. 1530. §. 138. et 29.* cf. KLOECK *de contributionibus XIX. 34.*

c) HAEERLIN *Neue Reichshistorie Th. 12. p. 394.*

Ordinum Imp. quae iam ao. 1521. in comitiis tractata quidem fuit, sed frustra, quia tunc bellum contra Turcas suscipiendum, ita omnium animos occupauerat, vt de aliis rebus consultationi locus haud relinqueretur <sup>d</sup>). Tantis itaque aerarii Imperii angustiis subuenire, tantisque controuersis occurrere studuit CAROLVS comitiis anno 1541. <sup>e</sup>) conuocatis, sinistro tamen euentu, cum ob iustitium, quod Camera imperii mox experta est, nemo iis, quae in comitiis sancita fuerant, obtemperaret; qua de causa anno 1544. in comitiis denuo de negotio illo matriculam Imp. concernente actum fuit, nec meliori tamen euentu, donec tandem in comitiis a. 1548. summo studio de hac re tractaretur, arque adeo norma excogitaretur, secundum quam Ordinibus vel deminutio tributorum, vel plena immunitas decerni possit. Respondet itaque Imperator §. 47. et 48. *Recess. Imp. d. a. 1548.* duplici querelae Ordinum imperii, primum quoad vrbes foedere Hanseatico unitas, quae censum recusarent, deinde, quoad ipsos Imperii Ordines, qui hoc universale tributum (*gemeine Pfennig*) a subditis suis non exigent, dicitque et hoc esse exigendum, et illud ab vrbibus nominatis tributum, quod tunc belli Turcici causa indictum erat, soluendum. Progreditur CAROLVS Imp. §. 49. ad exemptiones, quae, vt scimus duplicis sunt generis scilicet cum vel sine onere <sup>f</sup>) quorum illas, quod respublica Germanica nullum ex iis damnum sentiat <sup>g</sup>) permittit, has vero prohibet simulque procuratori Imperiali (*Fiscalis* vocatur) contra sine onere exemptos eximendosque agere iubet. Quod quo melius fieri possit §. 53. dicit Imperator, se ac Ordines in eo consensisse, vt moguntini sacrorum imperialium seniorum magistris (*Cancellaria Imperii*) exemptorum eximentiumque accuratum catalogum procuratori Caesaris traderent, qui deinde singulos Ordines in illo

d) HAEBERLIN *Neueste Reichsgeschichte I. Th. p. 347. sequ.*

e) cf. *Recess. Imp. de hoc anno §. 70. — 75.* HAEBERLIN *Neue R. Geschichte XII. Th. p. 275.*

f) Exemptiones hic dicuntur, quando vnus Ordinum Imp. alios e solutione tributorum ex matricula liberat, ipse eorum causam in hac re in se suscipiens. Hoc fit vel ita vt liberans pro eo, quem eximit, ipse soluat, vel minus, illud dicitur cum onere hoc sine onere eximere.

g) Verbis: *Auch dem Heil. Reich an seiner Anlagen und Gerechtigkeit nichts abgehret.*

illo nominatos coram iudicio camerali conueniret. Accedit igitur Imperator sequenti §. 54. ad eos Imperii Ordines qui omnino tributum nomine quid conferre recusent, dicitque Camerae imp. iudicandum esse, et de exemptione iusta vel iniusta, et de immunitate ipsa; an haec per legitimam id est immemorabilem praescriptionem sit acquisita nec ne <sup>h)</sup>, quod iudicium duobus annis finiendum decernit. Videmus itaque hanc legem non vniuersalem sed specialem esse <sup>i)</sup>, ac CAROLVM Imperatorem non nisi de iis, qui immediate Imperatori et imperio subsunt Recessu nostro loqui, nec de aliis loqui potuisse, cum sola de collationibus Ordinum imp. quaestio huic legi dederit occasionem. Noli itaque haec, quae solum in matricula imp. locum habent ad omnia, in toto imperio apud singulos Ordines obuentionia tributa applicare. Est enim reipublicae Germanicae forma tam singularis, ac ab omni alia quam maxime diuersa, cum Ordines summis sane priuilegiis superioritate verbi gratia territoriali ac aliis gaudeant, nec possit ratio, quae inter eos ac Imperatorem imperiumque intercedit vllam in singulos Germaniae prouincias vim habere.

#### §. VI.

##### *Argumenta iuris communis, contra praescriptionem immunitatis a tributis.*

Et haec quidem sunt argumenta, quibus nonnulli, vberrimae alias doctrinae viri praescriptionem collectis accommodare studuere, quibus refutatis liceat iis alia substituere, quae omnem in causa tributorum praescriptionem mihi profligare videntur, suntque vel ex iure publico vniuersali, vel ex ipsis iuris Romani praeceptis deprompta, quod vtrumque mirifice hac in re conspirat. Etenim, quod ad illud attinet, supra <sup>a)</sup> iam monui, eiusmodi rempublicam, in qua

h) Bene enim distinguit Imperator §. 54. *Nicht allein in Sachen ob ein Strand — — ausgezogen sey, sondern auch — — des Reichs Anlagen befreyer,* ita, vt de eo, qui sine onere sit exemptus verba posteriora intelligi non possint, sed de hac potius specie, si quis in libro censuali (*Matricula*) imperii notatus, onera imp. (*Reichsanschläge*) ferre detrectet.

i) cf. sentent. Scab. Lips. in adiectis sub A.

a) §. 2.

qua nihil plane a subditis exigatur, vix cogitari posse<sup>b)</sup>, cum communis salutis gratia semper parata adesse debeat pecunia, quae aliunde, quam e ciuium collationibus vix parari poterit. Quod eo minus negari potest, quo clarius quotidiana experientia docet, innumeras reipublicae necessitates esse, quibus vel ad sustentandum, vel ad defendendum se, vel denique ad dignitatem conseruandam, ipsamque ciuium salutem augendam, egeat respublicae, nec iis sine paratis opibus mederi queat. Quae cum ita sint, res ipsa postulat, vt quilibet ciuium communi saluti succurrat, nisi ipse communis felicitatis expers esse velit, etenim ad hoc singuli statim ab initio, cum in societatem coirent, se obligarunt. Progrediente itaque rerum publicarum statu, et gubernatoribus, quali pecunia ad communes sumtus opus esset, per vsum edocētis, definiendum erat, quid cuique ciuium conferendum esset, ac eiusmodi norma inuenienda, quae vnus cuiusque facultatibus esset accommodata, pecuniaeque summam, quam respublica exigeret, contineret, quae norma nostris temporibus catastrofum vocatur. Ex hac igitur necessario sequitur, si quis ciuium a soluendo tributo immunis esse velit, vt aut respublica ea pecuniae parte, quam ab eius opibus expectare poterat, careat, aut caeteri ciues pro immunitatem affectante soluant, quorum in vtroque reipublicae detrimentum, in posteriore vero simul calamitas reliquorum ciuium versatur. Etenim in isto, respublica aliqua parte earum opium destituitur, quibus vel ad praesentis temporis sumtus vel ad futuri periculum opus habet, in posteriori autem specie non solum necesse est, vt reliqui ciues vel publicas expensas plus contribuant, quam quisque pro ratione facultatum suarum alias deberet, eoque ipso illa iustitia, quam distributiuam vocant, sine qua nulla respublica salua esse potest, exterminetur, sed etiam facile est euentu, vt paucis iis, qui haec tributa soluere poterant, per eorum gravitatem depresso, nulli plane supersint, qui reipublicae pecuniam necessariam subministrare possent. Quisquis igitur intelligit nullum omnino ciuium integra respublica a tributis soluendis liberum esse posse. Quoniam vero iuris publici vniuersalis ea est ratio vt voluntate hominum, siue imperent siue subsint, aequae minus ac ipsum

<sup>b)</sup> cf. BASTINELLER *diff. de immunitate ab oneribus publicis. Viseb.* 1740. §. 13.



ius naturae, ex quo natum est, mutari possit; manifeste patet, illius principii nullo modo conuenire, si quis exemptionem a collatione, aut Principis priuilegio, aut subditi pertinacia, multorum quamuis annorum, quam iure ciuili praescriptionem appellant, acquiri posse, dicat; nisi singulorum ciuium consensus accesserit. In qua re etiam id, quod supra dictum est, repetendum, scilicet nemini subditorum, immunitatem concedi posse, nisi, ut salua sit pecuniae publicae copia, ultra modum reliquorum patrimonia minuendo, quod tamen aliter, quam imminente periculo, neque tunc sine aequali oneris distributione fieri posse contendunt <sup>c)</sup>. Et haec quidem iuris publici vniuersalis praecepta etiam iuris Romani conditores, nisi semper, et in totum, saltem quoad praecipuam partem tenuerunt. Nam, quamuis odium erga vniuersa priuilegia, quod iam Decemviri lege XII. tabularum declararunt <sup>d)</sup> sequentibus temporibus, quodammodo deposuerunt, aut potius Imperatoribus ea ex arbitrio et praeter leges saepius largientibus, deponere cogentur, tamen quoad immunitatem per temporis praescriptionem acquirendam a iuris vniuersalis aequitate haud deflexere, potius non minus in vniuersum contra utilitatem publicam nullam admisere praescriptionem <sup>e)</sup>, sed etiam per leges disertas omnem ex causa tributorum praescriptionem sustulere. Ut autem ab ea, quae princeps in hac re videtur, incipiam, Imperator ANASTASIVS l. 6. C. de praescript. XXX. vel XL. annor. <sup>f)</sup> claris verbis arcet praescriptionem ab omnibus iis, quae reipublicae a subditis praestari debent, simulque eos reprehendit, qui antecedentis legis 4. Cod. generalem de praescriptione sanctionem ad tributa etiam vel canones trahere velint <sup>g)</sup>. Quae quidem legislatoris mens quamuis perspicua sit, tamen non desuere, qui alium huic legi sextae sensum substituere conarentur, ac dicerent, illa tantum praestationis genera ea comprehendi, quae in subiectionis signum, vel uti hodie loquuntur, in recognitionem superioritatis territorialis soluerentur <sup>h)</sup>; sed absque villo iuris fundamento, cum restrictius

C 2 legum

c) BASTINFLER l. c. §. 18.

d) Tabula IX.

e) LAUTERBACH colleg. ff. l. 41. tit. 3. §. 18. in fin.

f) cf. supra §. 3.

g) Consentit mecum BRUNNEMANN in Comment. ad l. 1. §. 1.

h) KLOCK de contribus. Cap. 16. §. 17.

legum interpretatio, quæ hic adhiberi videtur, locum non habeat, nisi vel in priuilegiorum ac singularium iuris beneficiorum, vel legum poenaliu interpretacione, ipseque adeo ANASTASIVS, quod maximum sane est, non de quarundam tantum, sed de omnium publicarum functionu solutione loquatur, atque circa finem legis in genere eos, qui per quadraginta annos tributum non soluerunt ad dandum canonem compelli, nec ullam cuiuscunque temporis praescriptionem admitti iubeat. Patet itaque omnem praescriptionem hac lege a tributoru causa remoueri, vt si extaret iure Romano immemorialis, quod supra <sup>1)</sup> negauimus, nec eius aliqua vis reliqua foret, voce *cuiuscunque temporis* et hanc sub se comprehendente. Nequaquam vero existimandum est, ANASTASIVM solum Imperatoru fuisse, qui praescriptionem a negotiis publicis arceret, sed iam ante eum GRATIANVS VALENTINIANVS ac THEODOSIVS l. 6. C. de operib. publ. disertis verbis praecepere, temporis praescriptionem iuri publico obsistere nunquam debere. Vnusquisque itaque videt, ipsaque verba ostendunt, generalem esse hanc sanctionem adeoque ad omnia, quae iuris publici sunt, et sic etiam ad tributa applicanda esse. Vnde non audiendus videtur, qui hanc legem ad eos solum accommodare velit, quorum aedificia priuata locum publicum occupauerint aut circumscripterint. Quod enim in lege exempli loco positum, vel tanquam specialis conclusio, ex generali sanctione deriuatum est, id non pro omni et sola vi legis haberi debet. Eiusdem sententiae BRUNNEMANNVS <sup>k)</sup> esse videtur, qui quamuis etiam aedificiis publicis per priuata detrimentum nec longissimo tempore fieri debere, ex hac lege confirmet, tamen mox rationem generalem adiungit, assumpta simul in auxilium l. 4. et 17. eod. scilicet, quoniam praescriptio iure civili opponi non possit. Id quod iam, iure Digestorum obtinuit, CAIVS enim in l. 9. D. de usurpat. et usucap. diserte dicit: *Usurpationem res publicae populi Romani et ciuitatum non recipiunt, et MARCIANVS l. 45. eod. Praescriptio longae possessionis ad obtinenda loca iuris gentium publica concedi non solet; quarum legum illa, omnes res populi Romani adeoque etiam vectigalia et tributa comprehendit, haec vero, etsi, quem-*

i) v. §. 7. Sect. I.

k) in Comment. ad b. l.

admodum illa GRATIANI, tantum de locis publicis loquitur, tamen eandem generalem rationem habet. Idem de rebus fisci ALEXANDER Imp. contendit, cum *l. 2. C. commun. de usufrap.* causam circa mancipium, diuissime quamuis possessum, propterea contra detentorem decidat, quia fisci sit, res autem eiusmodi usufrapi nequeat. Porro sententia mea aliquo modo roboratur *l. 10. pr. D. de publican.* qua HERMOGENIANVS ICTus praecipit vectigalia absque Imperatoris consensu nullius plane mutationis esse capacia, quae quidem sanctio leuius ac fugitiuo oculo aspecta, etsi causae meae minus conuenire videatur, tamen si diligentius paullo eam examinaueris, statim intelliges, quam maxime huc spectare. Etenim ICTus varias mutationes, quibus vectigalia obnoxia esse soleant, enarrans, inter eos quoque diserte deminutionem recenset, nec per hanc vectigalia mutari posse, respondet. Cum itaque praescriptio immunitatis ab aduersariis ea sola de causa fingatur, ut per eam tributa vel tollantur, vel minuuntur saltim, quis non videt, et hanc deminutionis speciem a ICTo prohiberi? Neque dicas consensum Principis ex longo tempore praesumi, hoc enim non nisi commentum est doctorum, qui regulam illam notissimam, quod qui taceat, consentire videatur, in priuatorum tantum iure receptam, neque ibi adeo veram <sup>n)</sup> ad Principem eiusque negotia praeter rationem applicauere. Etenim, cum is, qui tacet nullam plane mentis cogitationem patefaciat, ipse nec consensus, nec dissensus ex taciturnitate illa colligi potest, sed nil, nisi hoc, tacentis voluntatem ignorari, ipsumque, cum qui silet, nihil agat, rem de qua sermo est, nec probare nec improbare <sup>o)</sup>, imprimis quando silens eiusmodi persona est, quam, ut loquatur, et mentis cogitata aperiat, cogere non potes. Nec obstat, quod consuetudo Principis silentio vim legis accipere dicitur; nam primum eo nihil aliud agitur nisi hoc; subditos non posse consuetudinem tanquam normam actionum suarum, siue particulam iuris ignorante Principe inducere; ad quod solum silentium propterea sufficit, quoniam

C 3.

m) Comprehendit scilicet *vectigalium* vocabulum quaeuis tributa. HUBER. *praelect.* ad ff. *l. 17. ff. de verborum signif.* Interdum tamen ab aliis tributorum generibus *vectigal* secernitur, *l. 39. ff. de Legat. I.* cf. BRISSONIVS *l. h. v.*

n) V. BACH. ad BERGER. *Oec. L. III. t. 1. §. 14.*

o) Consentit mecum BASTINELLER *l. c.*



nam, si diserte approbaret et confirmaret non ius consuetudinarium, sed lex expressa foret; deinde etiam si regerere velis immunitatem a tributis posse consuetudine induci, tamen aliud huius requisitum, scilicet ut rationi ac aequitati non contraria sit, desiderabis, eiusmodi enim immunitatem omnem rempublicam euertere mox demonstrauit. Taceo, quod si verum sit ad consuetudinem superioris consensum exigi, necessario sequi, eam inter pares quidem locum habere, sed inter subditos et Principem seu rempublicam consuetudinem fingi non posse; ex quo efficitur, praescriptionem immunitatis, consuetudinis speciem nullo modo esse posse. Quibus accedit PAVLLI ICTI sententia, qui *l. 9. §. 6. D. de publican.* dicit, ea, quae publicanus exigere negligentia omiserit a successore recte exigi, atque adeo exigi debere, unde sequitur, etsi quis publicanorum fundi alicuius tributa neglexerit, eiusque successor officio suo non plus satisfecerit, tamen hanc publicanorum incuriam praedii neglecti possessori nullum emolumentum afferre, sed sequentem publicanum ad omnia tributa, quae soluta haud fuissent exigenda. Porro mecum facit *Nouella 30. §. 7.* a LYNKERO vel potius MÜLLERO <sup>P)</sup> in eam rem laudata, quamuis enim huc de Tamiacis tantum possessionibus agat, adeoque non nisi lex specialis esse videatur, tamen non solum ipsa *Nouella* ad Praefectum Praetorio data, adeoque inter generales referenda est, sed etiam ipsa verba capituli 7. quibus omnis longi temporis praescriptio fisco opponi prohibetur, tam vniuersalia sunt, ut omnes res fiscales adeoque et tributa comprehendant. Quam vero idem auctor *l. 23. C. de S. S. eccles.* allegat, ea vereor ut aliquid probet, cum de nulla alia, quam de centenaria aduersus ecclesiam Romanam praescriptione loquatur.

### §. VII.

#### *De immunitatis praescriptione aduersus onera municipalia.*

Ea, quae haecenus diximus, cum videantur tantum iura praescriptionis eorum tributorum exponere, quae a republica vel Principe

<sup>p)</sup> In disputatione *de Catastris* Ienae 1692. habita et Vitebergae 1726. recula, quae quidem plena est eruditionis, quamuis modo scholastico, id est, horrido scripta.

cipe exiguntur, haud abs re erit, an etiam in oneribus, quae magistratibus ciuitatum municipalium debentur, locum habeant, confiderare. In qua re primum illi mihi obuenerint videntur, qui aut ciuitatibus omne ius fisci negant, a) aut ipsis in vniuersum quidem concedunt, vt potestatem collectas exigendi iisdem auferant, b) qua si ciuitates carent, nec potest vlla de acquirenda contra eas immunitate quaestio moueri, cum l. 6. C. de praescript. 30. vel 40. annor. in qua tanquam fundo supra meam de immunitatis praescriptione sententiam aedificaui, tantummodo de tributis Principis agere videatur, nulla ciuitatum facta mentione. At nihilominus idem, quod supra contra immunitates praescriptionem a tributis publicis in vniuersum diximus, de oneribus etiam, quae ciuitatum aerariis praebentur, contendere iure nobis videtur. Equidem non sustineo accipitem illam quaestionem, an ciuitatibus municipalibus iura fisci competant, decidere, de qua MENSERVS c) integrum libellum academicum scripsit, etsi argumenta eorum, qui hoc ipsis ius asserunt, mihi certe non leuia videntur; d) tamen hoc dubium esse nequit, intercedere quandam, eamque magnam inter tributa, quae reipublicae causa conferuntur, et praestationes, quas magistratus ciuitatis exigat, similitudinem, vel potius vtriusque eandem plane rationem esse, cum utroque casu onera publica ad salutem communem sustinendam soluantur. Nemo enim negabit esse ciuitatum, imo omnium vniuersitatum communes quosdam sumtus, quibus, nisi respublica detrimentum capere debeat, superfedere nequeant, quique saepe tanti sunt, vt haud modicam pecuniae summam postulent, imprimis ad onera meri imperii ferenda, procurandamque ciuibus securitatem, quid? quod ad commoditatem etiam et iucunditatem subministrandam. Quae pecunia, cum in ciuitatibus non minus eadem ratione, quam in integris prouinciis comparari debeat, scilicet singulorum ciuium colatione, facile vnusquisque videt eundem etiam modum circa libe-

ra-

- a) LAVTERBACH colleg. ff. de iure fisci. BRUNNEMANN ad l. 1. C. de iure fisci.  
 b) BERGER Oec. L. I. T. II. §. 16.  
 c) cui titulus: de iure fisci ciuitatibus municipalibus competente, Lips. 1742.  
 d) cf. LEYSER ad ff. sp. 638. p. 1.  
 e) L. 5. C. de diu. praed.

rationem ab ea esse tenendum, hoc est, eam; ne desit ciuitati aeris copia, plane cessare debere, neque longa quamuis possessione, aduersante publica utilitate acquiri posse. Habemus etiam huius nostrae sententiae luculentum testimonium in ipsa Imperatoris VALENTINIANI lege, <sup>e</sup>) cuius haec verba sunt: *Si qui ex titulo donationis vel emtionis, siue ex alio quolibet, possessiones vel domus cuiuslibet CIVITATIS demto ciuili canone acceperunt, eos impositum ipsis canonem, iuxta fidem publicorum monumentorum ciuitatis praebere iubemus*, addita causa, quia priuati iuris debita non deneganda, eo magis ciuitatibus, ea, quae ipsis debeantur, praestanda sint. Vides itaque generalem sanctionem, quae etiam ad praescriptionem tam diu, donec eximetur, pertinebit. Imo vero pertinet, ex alia Imperatoris ANASTASII lege, <sup>f</sup>) qui *functiones*, ait, *seu ciuilem canonem, vel aliam quampiam publicam collationem iubemus dependere compelli, nec huic parti cuiuscunque temporis praescriptionem oppositam admitti*. Verba *ciuilem canonem*, significare canonem ciuitatibus praestandum, tum lex modo adducta VALENTINIANI ostendit, tum BRISSONIVS <sup>g</sup>) iam docuit. Eadem quaque sententia veterum Ictorum fuit, cuius rei causa, testem euoco CAIVM, <sup>h</sup>) qui *Usucapionem dicit recipiunt maxime res corporales exceptis rebus — PUBLICIS — CIVITATVM*. Quamuis enim videri possit, ICTVM tantum de rebus corporalibus loqui, tamen contrarium ex verbo *maxime* apparet, quod manifeste ostendit eum de omnibus rebus ad ciuitates pertinentes dixisse, corporales vero tantum exempli loco nominasse. Cum igitur inter res ciuitatum publicas collectae quam maxime sint referendae, ad eo, vt, quemadmodum supra <sup>i</sup>) ostendi sine periculo abesse non possint, nulla amplius dubitatio superesse videtur idem in hac re ius esse ciuitatibus ac ipsis rebus publicis. Neque is forte magnum errorem errauerit, qui istam conuenientiam a ratione ac origine ciuitatum Germanicarum, quae ipsae respublicae erant, deriuauerit. Constat enim <sup>k</sup>) media aetate Principes potestatem non nisi angustis limi-

f) L. 6. in fine C. de praescript. 30. vel 40. annor.

g) sub voce ciuilis.

h) L. 9. ff. de usurpat. et usucap.

i) §. anteced.

k) cf. Ill. SELCHOW *Ius German.* §. 806.

limitibus circumscriptam, imo nullam in ciuitates exercuisse, quae ipsis munimentis suis tutae, multitudine ac fortitudine ciuium fretae, et incolarum opibus confisae, Principum maiestatem comiter magis colebant, quam timebant, ita vt eas saepius Principibus resistere inueniamus, donec tandem horum potentia tantopere esset auicta, ac belli gerendi ratio maiori arte exulta, vt ciuitates de recusando imperio amplius cogitare non possent, vnde ciues, collationibus magistratui factis, quae vt plurimum *Geschoß* vel *Schoß* appellari solebant, assuesacti, etiam postea eas non interrupta annorum serie continuauere, nunquam de immunitate cogitantes. Quae quidem res forte effecit, vt haec ad tributa magistratibus praestanda obligatio, in ipsis plerumque ciuitatum statutis (*Willkühr*) contineretur, quemadmodum in Lipsiensibus, Gorliciensibus aliisque videmus; quae statuta, cum a Principe, vel diferte, vel saltem tacite confirmata esse soleant, videtur eo ipso et his tributis eadem natura concessa, quam Principum canonibus esse, supra vidimus, hoc est, a praescriptione liberationem. Illustratur omnis haec res maximo pere sententia <sup>1)</sup> quam nuper tulit praeses praefecturae Budissinensis interrogatis prius Scabinis Lipsiensibus, qua correctae fuerunt et Lipsensium et Vitebergensium Ictorum sententiae, qui praescriptionem immemoriam contra tributa Principi praestanda, ordinariam in collationibus ciuitatum magistratibus soluendis admiserant.

### §. VII.

#### *Quaedam argumenta leuioris momenti.*

Sunt autem et alia argumenta, quibus variis praescriptionem a causis tributorum arcere sunt conati, quae tamen, quod leuiora mihi videntur, non longa oratione commemorare, sed tangere tantum volui, ne ea ignorasse videar. Huc primum refero argumentum, quo imprimis Celeberrimus LYNKERVS <sup>2)</sup> vitur, cuius in re ipsa consensum, mihi haud leui honori duco. Is igitur dicit, tacitum Principis consensum, in quo plerique praescriptionis aduersus onera defensores fundamentum ponunt, non posse maiorem vim habere,

1) vid. *Append.* sub Litt. A.

a) In *diff. de Carastris* c. 6. §. 3. cf. BASTINELLER l. c. §. 14.  
D

here, quam expressum in priuilegiis, quemadmodum igitur hunc putat omni tempore reuocari posse, sic et illum semper, adeoque completa etiam praescriptione rescindere licere existimat. Quod, quamvis non omni specie desituatur argumentum, tamen si vnicum esset, quo sententia mea stabiliretur, vereor ne haec diu confisteret, cum et supra <sup>b)</sup> ostenderim, praescriptionem tacito Principis consensu haud niti, et non omnes iuris interpretes de reuocatione priuilegiorum consentiant, quod meum non est, hic discutere. Aliud argumentum BASTINELLER <sup>c)</sup> profert, qui aliorum ICtorum auctoritate ductus eiusmodi praescriptionem dignitati Principis aduersari, profitetur; quod non sine specie in usum conuertere possem, si animus esset immunitatis praescriptionem per eiusmodi consuetudinis turpitudinem impugnare, in quam tacite consentire profecto Principis dignitatem laederet; at, cum ab hac praescriptione omnem consuetudinis rationem abesse, tacitumque consensum non nisi figmentum esse, supra <sup>d)</sup> demonstrauerim, his armis uti non lubet. Porro LYNKERVS <sup>e)</sup> nouum argumentum suppeditat, dum colligit, quemadmodum subditi a subiectione se per praescriptionem liberare nequeant, ita eos nec posse ab immunitate collationis; quod quidem eatenus aliquam vim habere videtur, quia tributa interdum solent in signum subiectionis dari, attamen eam difficultatem secum ducit, tum, quod hic non de huiusmodi tributis, sed de iis, quae pro reipublicae necessitatibus conferuntur, agitur, tum, quod in historia non desunt exempla, vbi ciues salua subiectione nulla tributa pendere, e. g. in republica Romana tempore post Perseum deuiotum, vsque ad bella ciuilia. Quid autem dicam de eo, quo haud pauci commoti sunt ad societatem nobiscum in oppugnanda immunitatis praescriptione ineundam, nempe, quod tributorum exactio sic actus merae facultatis, adeoque omissione eiusmodi facti arbitrarii, nemo ius aliquod consequi possit. Videtur quidem haec argumentatio eo maiorem prae se ferre auctoritatem, quo certior in ea est subsumtio, et probabilis quoque propositio; vnde et ego ipse

b) §. 6. Sect. I.

c) §. 26. cit. diff.

d) §. 6. Sect. I.

e) Respons. XXV. §. 18.



consilium ceperam hac ratione sententiam comprobandi, nisi haec subito dubitatio subnata fuisset, an mere in arbitrio sit positum, eam pecuniam, quae ad sustinendam rempublicam datur, adeoque ad eius salutem necessaria est, omittere, eamque non exigendo reipublicae detrimentum afferre, vel reliquis ciuibus ad supplendum quod sic deest noua onera imponere? Quam dubitationem si quis mihi exemerit, ei pro nouo meae disputationi primo intuitu eorum videtur, qui Nec minus speciosum argumentum ea de causa negant, quia ut omnes leges, ita et eae, quae tributa imponunt semper loqui videantur, ad eoque singulis diebus ac horis illam interruptant. Fateor, me lutebenter hanc rationem in subsidium vocaturum esse, modo mihi responsionem, illorum obiectioni suppeditare velint, qui sic omnem contra leges praescriptionem tolli dicent. Superfedeo plura eiusmodi argumenta ex aliorum seriniis colligere, quorum commemoratione eo facilius carere possum, quo magis iam ea, quae in superioribus dixi, mihi sufficere videntur, ad id confirmandum, quod hac sectione prima ostendendum mihi sumsi.

## SECTIO II.

de

### *Praescriptione immunitatis secundum ius Saxonicum.*

§. I.

*Generaliora quaedam de tributis Saxoniciis, praesertim de collectis (Steuern).*

**A**bsoluta itaque prima libelli parte, ad alteram accedam, ac eiusdem rei indolem ex iure patrio explicare studebo; quo tractando, liceat denuo ad lectorum indulgentiam prouocare, cum uti supra <sup>a)</sup> iam monui, omni fere scriptorum auxilio in ea tractanda fuerim destitutus. Quo meliori autem ordine disputatio mea procedat, et, quae infra dicentur, eo facilius intelligi possint, generaliora

D 2

a) in Prooem.

quaedam de tributis a Saxoniae civibus praestandis videntur praemittenda. Duplicis autem generis in Saxonia sunt tributa, ita, ut vel bonis, vel incolis inhaereant, quarum specierum priorem onera realia vocant, alteram personalium nomine comprehendunt, quae tamen posterior species ab huius libelli consilio, propterea aliena est, quoniam, ut infra <sup>b)</sup> videbimus, nulla hic praescriptio obvenit potest, nisi immemorialis, vel eiusmodi temporis, quod hominum vitam excedat. Onera autem realia, duas complectuntur species, sunt enim vel *perpetua* quae semel fundo imposita, semper ac perpetuo eidem inhaerent et omni tempore ab eius possessoribus sunt praestanda, ac omnis mutationis expertia, peculiari nomine collectivo non gaudent, potius cum multiplici generis sint, varie designantur, ut *Erbzinsen*, operae quotannes, vel certae vel incertae, eaeque aut ipsae praestandae, aut loco earum pecunia solvenda v. g. *Hufengelder*, *Erbpaechte*, *Cammergesaelle*, etc. vel *temporaria* mutationi in comitiis provincialibus Saxonice mox augendo mox minuendo obnoxia. Sciendum nempe onera illa realia temporaria, non nisi ab Ordinibus Saxoniae in comitiis congregatis, Principe ad usum reipublicae postulante in certos annos concedi, quibus praeterlapsis Ordines iterum conveniunt, et denuo eodem modo de pecuniae summa ad usum reipublicae necessaria tractant. Cum vero pecunia, qua opus est ad communem utilitatem non vno modo cogi ac comparari possit, scilicet, tum ex rebus vel mobilibus vel immobilibus, tum nec ex utrisque vna eademque ratione, variae inde natae sunt denominationes, ut *Land-Pfennig-Quatember-Steuern*, *Accise*, <sup>c)</sup> pro modo, qui Ordinibus provinciae in exigendo facilius videtur. Mihi autem imprimis res est, cum illis *Steuris* (sic venia verbo) quae secundum sexagesimarum numerum praestantur, et pro diversa ratione *Land-vel Pfennig-Steuer* interdum *Schock-Steuer* vocantur. Solvuntur autem secundum antiquum illum pecuniae numerandae modum, sexagenarium inquam, ita, ut de qualibet sexagena parte pretii *von jedem Schocke* aliquid exigatur. Hae omnes sexagesimae de quibus tributa solvuntur, in libris censualibus, quos *catastra* vocant, scriptae

b) §. 4. seqq.

c) V. BERGER *Oec. Iur. Lib. I. Tit. II. §. 15. n. 99.*

ptae sunt, earumque varia nomina occurrunt, <sup>d)</sup> probe tenenda. Habes autem, primum sexagenas *plenas* *volle Schocke* si omnes illas complecteris, quae libro censuali in uniuersa Saxonia 1628. confecto, continentur. Cum autem earum tanta esset copia, <sup>e)</sup> ut Saxonia ab eo tempore, per continua sere aut saltim frequentia bella, praesertim posterioribus annis illius functi tricennalis belli deuastata, et subactis fundorum paupertate possessoribus, ipsisque imprimis praediis vel funditus euersis, et nunquam postea restauratis, vel aliqua tantum parte eorum abrepta, vel denique saltim commodis eorum ingenti modo deminutis, illa integra summa amplius sine maxima dominorum oppressione nec exigi nec postulari poterit, aequum visum est, ut haud leuis sexagenarum illarum pars ab integra summa decresceret, et quasi caduca videretur, vnde nouae species ortae, tum sexagesimarum *caducarum*, tum *decrementium*, *Decrement-Schocke*, quarum illae eorum praediorum sunt, quae olim vel ab hostibus deuastata, vel saltim ex eadem aliaue calamitate possessoribus derelictae, novos cultores inuenire nondum potuerunt; *decrementales* autem sexagenae non minus sunt praediorum per publicas calamitates afflictorum, sed eorum tamen, quae possessores vel nacla sunt, vel retinuerunt, quamuis hi nec se nec fundos suos ad pristinum statum eum, quo possint priora onera ferre reducere potuerunt. <sup>f)</sup> At vero praeter illos publicorum periculorum euentus, interdum etiam aliae causae fuere, quibus singulorum praediorum possessores ita pressi sunt, ut sexagesimarum numero, ipsis, et si detractis iam decrementalibus, incumbenti non amplius pares sint, quod aut ex communi penuria, facultatum et difficultate se suosque alendi his possessoribus prae caeteris noxia, vel ex singulari deminutione prouentuum ex praediis, si imprimis ad certam eorum huc vsque non exiguam speciem pertineat, aut denique ex diuersis aliis loci temporum ac personarum rationibus descendere solet, adeo, ut et hic aequitas spectanda et numerus sexagesimarum reliquus

D 3

d) Anonymi (WAGNERI) *Gründliche Nachricht von den Schockgrofsben* *Vit.* 1729. 8. c. III. §. 3. *sequ.*

e) Erant enim tunc non minus quam 7184540. fso.

f) Ad hanc classem referuntur illae quoque sexagesimae, quae fundis a Principe possessis inhaereant, donec ad priuatos redeant.

adhuc moderandus, id est, denuo quarundam exactio suspendenda sit, quae *moderatae*, *moderirte Schocke*, nominantur, et a decrementalibus eo imprimis differunt, quod non diutius locum habeant, quam causa earum durat, ac maior quam in his spes sit eas aliquando reuocari posse, quod germanice *aufziehen* vocant. Vnde etiam fit, vt quaelibet moderatio nonnisi a comitiis ad comitia detur, et post singulas statuum prouincialium nouas concessiones, *Landes-Bewilligungen*, noua causarum moderationis peruestigatio eueniat. Iam itaque de integro numero supra commemoratarum sexagenarum plenarum detrahe caducas, decrementales et moderatas, habebis in reliquis quintum genus, *vsitatarum*, *Gangbare Schocke*, <sup>g)</sup> secundum quas quotidie collationes fieri videmus. Cum his omnibus non confundendae sunt, *deficientes*, *Ermangelnde Schocke*, quae inde deriuari solent, quod praesertim tempore incurfionis bello tricennali a Suecis in Saxoniam factae, <sup>h)</sup> sexagesimarum Saxoniarum ratio ita perturbata fuit, vt de multis sexagenis libro illo censuali celeberrimo d. a. 1628. comprehensis haud constaret, ad quosnam fundos eae pertinerent, adeoque non reperiretur a quonam vel praedio vel possessore exigenda essent. Quod genus deperditarum sexagesimarum imprimis in ea Saxoniae regione, quae a dignitate Electorali nomen habet ac in Thuringia et prouincia Neostadiensis, quamuis in priori adhuc crebrius obuenit, <sup>i)</sup> idque praesertim ob conditionem praediorum ibi sitorum, quorum pleraque fundis, quos *ambulantes*, *walzende Grundstücke*, vocant, continentur, quorum ea est natura, vt libero arbitrio a reliquis separari ac distrahi possint, cum e contrario in reliquis Saxoniae prouinciis vt plurimum ne minima quidem pars ad integrum praedium pertinetur.

Per-

g) Eorum fuere anno 1706. teste SCHREBER von Landtagen p. 50. 5014831. anno vero 1767. 4905799.

h) Hoc accidit anno 1635, vsque ad id enim tempus Saxonia in ipso tricennali bello non ita multum perpessa fuit, vnde patet catastrum illud generale d. a. 1628. tempore adhuc eo factum esse, quo huius prouinciae incolae conditione facultatum non contemnenda gaudebant, finitimis terris, quos tricennale bellum citius oppresserat meliori. cf. EINERTI V. C. *diff. ad decis. Elect. 17, d. a. 1746. P. II.*

i) In sola praefectura Belzig 1671. sexagesimae deficientes numerantur.

*Pertinenz Stücke*, ab eo sine consensu atque auctoritate collegii, penes quod cura aerarii cernitur, diuelli possit, potius huius est decernere, quot sexagesimae transferendae videantur, eoque salus reipublicae conseruetur, ne vnus ciuium <sup>k)</sup> a debitis oneribus cum damno alterius immunis maneat. <sup>l)</sup>

## §. II.

*Quaedam de origine et fatis collectarum Saxonicarum.*

Nolint hic lectores exactam, omnibusque numeris absolutam collectarum Saxonicarum historiam a me expectare, quippe cui non solum harum rerum cognitio ac in hanc iuuenilem aetatem cadere potest, minime par foret, verum etiam me a consilio meo nimis sit alienatura. Attamen in eo mihi temperare non potui, quominus illa paucis commemorarem, sine quibus ea, quae infra pro stabilitenda mea opinione dicentur, satis intelligi nequeunt. Initio scilicet nulla plane in Saxonia tributa ab Ordinibus concedebantur, Principe ea, quae respublica postuleret, e propriis facultatibus subministrante, quod cum crescentibus impensis reipublicae causa faciendis fieri amplius non posset, subueniebant Ordines tributi nomine certam pecuniae summam concedentes. Cuius rei primum <sup>a)</sup> exemplum anno 1350. extitit, cum Ordines Prouinciales in comitiis a FRIDERICO Landgrauio ac fratribus conuocatis, ipsis tributum, quod tunc *Bede* vocabant, concederent ad aes alienum soluendum, ab antecessoribus istorum temporum necessitate contractum. Ne autem Ordines forte existimarent perpetuo paria tributa a se fore

k) v. *Seff. I.* §. 6.

l) Studio supersedeo eas sexagesimas addere, quae *Gatter-Schocke* appellantur; quoniam tum inconsumptae sunt et non nisi in villa Doebernitz occurrunt, tum huc non pertinent, sine dubio originem ducentes a censu aliquo frumentario, qui olim voce *Gatter* designabatur.

a) Antea enim concessi tributi vestigia nulla reperi, duplex me potius ratio adduxit, vt tunc prima vice ab Ordinibus Principibus Saxoniae tributum fuisse concessum, existimarem. Etenim litterae reuerfales de anno 1356. primae omnium sunt, quae inueniuntur ob concessum tributum a Principibus datae, et tunc quidem neque ad omnes Ordines Prouinciales in vniversum vti nunc fieri solet, sed ad singulos directae neque sub finem comitio-

exactum, FRIDERICVS sponte, suo fratrumque nomine anno 1356. postquam omnes huius tributi pensiones essent solutae, litteras reuerſales dedit, ac cuilibet quidem Ordinum separatim, vnde et Senatu Lipsiensi datae inueniuntur, quibus se omnem illam *Bede* accepisse testantur, ita, vt haec litterae tunc temporis simul apochae fuerint, addita circa futuras postulationes securitate, quod tamen non obstitit, quo minus anno 1385. WILHELMVS COCLES presus temporum istorum angustiis Ordines iterum adiret, qui, nulla difficultate mota nouam *Bede* <sup>b)</sup> concederent, acceptis tamen iterum reuerſalibus, quibus WILHELMVS de eiusmodi tributo postea non exigendo cauebat, nisi forte in bello sinistra fortuna sit vsurus, magnamue cladem accepturus. Quae quidem tributorum ratio sequenti tempore paullulum mutata viderur, et memorata collatio fere in consuetudinem venisse, ita, vt vix annum superfuisse putem, quo non Ordines in hac re Principis voluntati obtemperauerint. Hoc intelligi potest, ex charta nominati WILHELMI <sup>c)</sup> qua anno 1414. ciuitatem *Crimmitschau* rogantem, ab onere soluendi quotannis sub nomine *Bethe* tributi, incerti sine dubio, et in singulos annos diuersae quantitatis liberat, eique loco illius in futuros annos perpetuum ac certum canonem, quamuis valde modicum triginta nempe sexagesimarum nouarum imposuit. <sup>d)</sup> Caeterum, cum in eadem charta,

ver-

mitiorum, sed demum post solutum a subditis tributum datae. Quas, quoniam nondum impressas inueni, adiiciendas existimai sub B. Deinde perſcrutanti mihi antiqua documenta actorum Volumen occurrit de aerario publico Saxonico, publicae auctoritatis speciem prae se ferens, quo inter alia egregia absolutus singulorum annorum catalogus conspicitur, quibus tributa ab Ordinibus Prouinciarum Principibus concessa fuere, a dicto anno 1350. incipiens, addita nota hoc esse primum omnium tributum.

b) WECK *Beschreibung der Stadt und Festung Dresden* p. 437.

c) *ibidem* et apud SCHREBER von *Landtagen*.

d) Ex hac charta demonstrari potest, duplicis generis, antiquis temporibus in Saxonia tributa fuisse, quae ciuitates Principi praestarent. Etenim tanquam Ordinum Prouincialium membra ad precaria conferebant, tum nisi omnes, variae tamen ciuitates canones quoque annuos soluebant. Quod idem intelligi potest ex alia charta FRIDERICI Bellicofi d. a. 1412. Vicerat nempe Dynastas quosdam, deisque, vt in fide manerent, certam pecuniae summam promiserat, quam postea solui curabat, tum ex precario, *der Landbede*, tum ex annuo canone, *Fabr- Renten*, quod vtrumque tributum ipsi a ciuitate

te

verba: *als müssen sie die reichen und geben*, obueniant; iis ductus videtur HORNIVS, celeberrimus ille FRIDERICI Bellicosi biographus, cum isto tempore ad precaria consensum Ordinum haud ex necessitate, verum dicis tantum gratia interrogatum fuisse profiteretur<sup>e</sup>); eiusque rei causam in eo quaerit, quia tunc ius precaria postulandi regalibus adscriptum fuerit, idque conuentione quadam inter Principes Saxoniae anno 1411. inita, quo idem habetur, probare studeat. At vero, ut ipsam nominis rationem taceam, equidem non nego tunc temporis facultatem istam iuribus, quae maiestatem constituunt, fuisse annumeratam, cum iam anno 1379. in vnione Marchionum Misniae cum Landgrauis Thuringiae idem locus ipsi fuerit assignatus, nihilominus tamen nec ibi de alia re nisi de iure Principis Ordines aduendi atque collationem ab iis ad sustinendam rempublicam desiderandi agitur, a quo HORNIVM ad facultatem tributa pro lubitu imponendi colligere, quod Principes Germaniae nunquam fecerunt, vnusquisque videt. Et Saxoniam quoque perpetuo hoc beneficio usam esse, tum rerum gestarum monumenta in vniversum, tum imprimis comitorum ab Ordinibus subinde habitaram scripturae demonstrent, qui, uti inter omnes constat, conuocati a Principe, ea, quae ad tuendam rempublicam desiderat, ipsi, quando vires subditorum non impares intelliguntur, concedere et facultatem huius rei causa varia ac certa onera exigendi praebere solent. Idque adeo saepe adiectis quibusdam clausulis fieri videmus et antiquissimo iam tempore factum legimus, quarum illustre exemplum apud WECKIVM, libro iam supra allegato, atque ut titulus docet, non sine publica auctoritate edito<sup>f</sup>) inuenies, vbi anno 1450. in comitiis Grimmae habitis Ordines FRIDERICO II. Electori precarium postulanti ex animo quidem concessere, relicto tamen tunc

primum

te Lipsiensi et Ienensi pendendum' esset: vid. HORNIVS *lib. cit. in codice Fridericiano no. 172 et 173.* In eodem codice p. 786. alia adhuc extat charta, in qua precarium ab annuo canone manifeste seiungi reperies. Patet itaque minuendam esse opinionem WECKII, et qui eam sunt secuti, ANONYMI scilicet apud SCHREBERVM et Illustr. MOSERI *von der Landeshoheit in Steuer-Sachen*, dicentium, circa annum 1411. nondum annua tributa, Fabreuren, Principibus Saxoniae fuisse numerata.

e) p. 231.

f) *Beschreibung der Stadt und Vestung Dresden etc.*

primum cura atque adeo custodia Ordinibus, unde pecunia ex illis collationibus redacta Lipsiae, cuius consul inter receptores erat, deposita fuit. Nec minus memoratu dignum videtur quod anno 1458. in comitibus Grimmenibus nova tributi species tunc nondum audita, sub nomine *Zise* ab Ordinibus concederetur, quo imprimis Thuringiae, aere alieno oppressae, succurreretur, soluenda ab omni re promercali, a qua etsi nec cereuisia excepta esset, tamen noli hoc cum tributo cereuisario, *Tranksteuer*, confundere, aut huius inde originem repetere, quippe quod tanquam singularis species de sola cereuisia, quatenus coquitur, non quatenus ut caeterae res promerciales venditur, aut emitur, praestari solet, et vndecim demum annis post scilicet anno 1469. primum sub nomine *Bierzehnden* concessa est <sup>g)</sup>, obsoleta iam ut videtur, *Zise*, cuius tunc non amplius mentio fit, potius eo tempore cereuisia ab omni onere immunis esse legitur. Unde hoc tributum *Bierzehnden* quod successu temporis nomine *Tranksteuer* venit, recentius fuisse puto, quam *die Landsteuer*, si ponamus hanc eandem esse, ac eam, quam supra anno 1412. sub nomine *der Landbethe* ab anno 1350. sub simplici appellatione *der Bethe* obvenire conspeximus, id quod mihi omni dubitatione carere videtur. Ego itaque nec originem huius tributi *der Landsteuer* demum in annum 1546. aut 1550. collocandum existimo, nec ab opinione mea ut recedam, ab iis, quamvis viris doctis, me commoveri patiar, qui tributum cereuisarium, tributo provinciali aetate propterea anteponunt, quoniam modus conferendi secundum rem familiarem possessorum, et huius aestimatio ex certo numero sexagesimarum numero, quo utraque *die Landsteuer* nititur, nonnisi post 1469. coeperit, nimirum illam 1488. <sup>h)</sup> hanc anno 1546. <sup>i)</sup> Etenim videmus iam anno 1431. collationes in Saxonia secundum opes civium et modum sexagesimarum <sup>k)</sup>, anno 1466. <sup>l)</sup> in usu fuisse. A memorato anno 1469. nullam collectarum Saxoniarum mutationem, quae ad rem meam pertineat, inueni, hoc tamen praeterire non possum

g) WECK. p. 440.

h) WECK. p. 446.

i) cf. Acta Comitiorum Saxonior. disti anni.

k) cf. WAGNERI *Gründliche Nachricht* etc. LÜNINGII R. A. *Parce Generali Contin.* I. p. 71.

l) WECK. p. 440.



successu temporis illam pecuniae, per precariae siue *Steuar* collectae  
 administrationem non semper apud Ordines fuisse, donec tandem,  
 cum in comitiis Torgauensibus anni 1570. praeter tributum pro-  
 vinciale, cereuisiarum grauius concederent, denuo sibi submis-  
 sere stipularentur, vt ipsi colligerent et aeri alieno soluendo, cui tributum  
 destinauerant, adhiberent; quod placuit Principi, additis tamen ab  
 ipso aliquot ad rem aerarii publici curandam idoneis viris, quae ra-  
 tio vsque ad hunc diem perpetuo mansit, ita, vt adeo, quemad-  
 modum inter omnes constat, rationes certis temporibus ipsis Ordi-  
 nibus sint reddendae, vt infra latius <sup>m)</sup> explicabo. Nec omittendum  
 videtur edictum anni 1561. <sup>n)</sup> quo tributa, *Land- und Franksteuer*,  
 soluenda indicit AVGVSTVS Elector, quippe quo sententiae illius  
 adhuc hodie omnino in Saxonia receptae, et firmo fundamento sta-  
 bilitate, primum mentio fit; nimirum feuda quorum possessores, quo  
 militent immunia esse a collectis praestandis, cum contra, eosdem  
 adhuc anno 1552. <sup>o)</sup> et 1557. <sup>p)</sup> non minus, ac caeteros subditos  
 de omnibus ac singulis bonis suis ad communes reipublicae necessita-  
 tes contulisse reperiamus. Taceo sequentium temporum fata ad rem  
 meam non pertinentia, quibus tributa Saxonica mox remissa mox  
 aucta fuere; at comitia anno 1631. Dresdae habita <sup>q)</sup>, commemo-  
 randa omnino videntur, quibus primum praediorum nobilium pos-  
 sessores Electori certam collationem, sub nomine donationis *Do-  
 nativ* obtulerunt, ne mutata iam tunc militiae forma ad rempubli-  
 cam nihil omnino conferre viderentur. Quod etiam sequenti-  
 bus temporibus vsque ad hunc diem seruatum est, ita, vt nec in hac  
 re, nec in tributis, quae caeteri ciues soluunt mutatio aliqua causae  
 meae inferuens occurrat. Potius ex his, quae iam dixi, duo lucu-  
 lenter patent, primum neminem ciuium Saxoniorum, eorum, qui  
 praedia vel militaria vel ciuilia possiderent, a collatione ad publicas  
 necessitates liberum esse, imprimis autem eos, qui equum ad exer-  
 citum ex feudis haud mittunt, neque eius loco pecuniam donationis  
 praestant

E 2

m) §. 7. Sect. II.

n) Extat in *Codice Augusto P. II. p. 1311.*

o) v. *Edictum MAVRITII Elect. de hoc anno, Cod. Aug. T. I. p. 38.*

p) WECK. l. c. p. 443. 599.

q) cf. *Der Ritterschafft und Städte Erklärung in Aëlis comit. dict. a.*

praestant omnes ac singulos ad tributa ciuilia *Steuern* conferre debere, deinde hoc, tributa non ab imperantibus sua sponte imposita atque exacta, sed prius ab Ordinibus in comitiis congregatis ad sustinendam rempublicam, bono erga Principis et patriam animo fuisse concessa. In Etenim constat, confici singulis comitiis, singularem \*) ab Ordinibus libellum, *Bewilligungsschrift*, quo Principi certa tributorum genera a subditis conferenda assignant, quam oblationem Princeps alio libello, Recessum comitorium, *Landtagsabschied*, vocant, accipit, atque consensu suo confirmat, additis litteris Reuersalibus, quibus inter alia Ordines hanc oblationem ex animo suo fecisse, profiteri non dubitat, simulque ipsi de tuendis eorum iuribus fidem facit. Quid? quod, tanta in hac re Principum Saxoniorum in dies gratia fuit, ut non solum vocem *Gutwilligkeit* \*\*) vel *Gutherzigheit* \*\*\*) usitaram, ab Ordinibus in libello concessionis aequo animo ferrent, sed ipsi etiam, in litteris Reuersalibus concessionem, illam ipsam tributorum ab Ordinibus factam, *eine Gutwilligkeit et Willfährigkeit* appellare soleant \*\*).

§. III.

*Quatenus ius commune in causa tributorum Saxoniorum locum habeat?*

Hic lectores mei in memoriam reuocent illam onerum Saxoniorum differentiam, de qua supra <sup>a</sup>) dixi, perpetuorum scilicet et fixorum non facile mutationi obnoxiorum, et illorum, quae subinde singulis comitiis in certos annos conceduntur, pactoque inter Principem

r) Vnum tantum eiusmodi libellum nomino, quamuis, qui harum rerum periti sunt, non ignorent tres tales libellos Principi exhiberi, vnum a Praelatis Comitibus atque Dynastis alterum ab Academicis, tertium a nobilibus et ciuitaribus, quorum tamen posterior quasi dux est, quem reliqui sequuntur, vnde quoad ipsam concessionem in singulis fere eadem verba reperies.

s) Hoc verbum inter alia inuenies in libello Ordinum in comitiis anni 1539. Principi exhibito.

t) Haec vox in recentissimo adhuc concessionis libello de dato Dresd. d. 16. Febr. 1776. occurrit.

v) vid. v. g. litteras reuersales de dato Dresd. d. 25. Febr. 1776.

a) *Secl. II. §. 1.*

cipem atque Ordines nituntur. In illis igitur si quis praecepta iuris communis locum habere putet, id mea pace fecerit, cum nulla plane causa adsit, quae ius Romanum ab his arceat, imo similitudo quaedam inter ea, et Romanorum antiquas collationes intercedat, quippe quae semel iustiae semper exigebantur ac perpetuo inhaerebant, nullam fere mutationem expertae nisi hanc, quod a variis Imperatoribus argenti cupidis praeter modum auferentur, ab aequioribus successoribus ad pristinam formam, reuocatae. At si de oneribus Saxonis temporariis, siue de *Steura* Saxonica, (liceat hoc verbo uti,) quaeratur, recte contendere posse mihi videor, in hac re ius civile nullum plane locum inuenire. Primum enim, ut iam dixi tributorum Saxoniorum singularis plane ratio est, a collationibus Romanis sola Imperatorum voluntate impositis plane diuersa; potius toto pacto inter Principes et Ordines subditorum nomine inito, unde quicquid iure civili de tributis obuenerit, ad alius plane generis collationes Saxonicas nullo modo accommodari potest. Deinde etiam si vel adreceptionem illam iuris Romani per usum in foris Germaniae prouocaueris, tamen non solum exinde non fluit, eam receptionem etiam in iis rebus vim habere, quae natura sua a iuris Romani disciplina omnino abhorrent, hoc enim si statueres, idem ius etiam ad hodiernam iudiciorum formam, magistratuum conditionem aut alia similia applicandum putares, quam certarum in Germania obuenerunt causarum dissimilitudinem, non dubito magnam rationem esse, cur omni tempore iuris patrii praeceptis ac consuetudini prae aliena doctrina praerogatiua sit tributa. Porro ius Romanum sine dubio in causis tantum civilibus receptum est, non in publicis b). Omnis vero *Steura* ad statum Saxoniae publicum pertinet, atque ad vinculum inter Principes ac Ordines a primis inde temporibus nexum, ipsi Germaniae statui conueniens, et perpetuo subditorum fide Principumque benevolentia ac reciproco utrinque amore magis magisque copulatum. Id bene intellexerunt legislatores Saxoniae, quapropter in constitutionibus quae aerarium publicum spectant, nullam iuris Romani mentionem fecerunt. Hinc igitur pro certo affirmare possum ius Romanum in causis steuralibus

E 3

b) Simili modo MOSERUS *von der Landeshoheit in Steuer-Sachen* p. 15. contendit ius Romanum in toto R. I. in causis steuralibus vix adhibendum esse.

ralibus non esse receptum, cui rei si quis contrariam sententiam profiteatur, ab eo probationem cupide expectabo, potius vnusquisque videt, omnes de his controuersias, ex iis, quae pactis Ordinum cum Serenissimo Electore continentur, esse dirimendas. Taceo, quod ad ipsam praescriptionem, aduersus tributa attinet, neque hanc aliquod praesidium in iuris Romani praeceptis reperire, quemadmodum in prima huius dissertationis parte luculenter ostendisse mihi videor. Mirandum itaque non est Ordines prouinciales Saxoniae saepenumero Principem rogando adiisse <sup>c)</sup>, ne in causis feudalibus vllum collegium, nisi id, cui publici aerarii cura credita est, decernere pateretur. Nec maiorem in re tributaria Saxonica vim, ius Imperii Romano Germanici habebit; vt enim taceam et hic magnam inueniri dissimilitudinem, tum ratione ipsius collationis, quae, vt iam supra vidimus <sup>d)</sup>, ex certa ac perpetua Imperii norma non conuocatis ad hanc rem singulis comitiis fit, tum ratione vsus ad quem pecunia destinatur, specialis scilicet ad sustentandum iudicium camerale, vel interdum ad defendendum ab hostibus Imperium; neminem latet leges Imperii statuum immediatorum subditos nisi ab ipsis Ordinibus publicatas obligare.

## §: IV.

*Praescriptio immunitatis aduersatur principio iuris Saxonici: Alle Güter müssen entweder mit Ritterpferden verdient werden oder Steuern geben.*

Vt igitur iam causas, quae me, ad excludendam ab immunitate praescriptionem mouerunt, accedam, prima et praecipua haec videtur, quod cum regula illa notissima pugnat; qua singuli fundi, nisi vel equo militari instructo patriae succurrant, vel in Principis aut origeretenus in ecclesiae dominio sint, collationem, ab Ordinibus in comitiis concessam, *Steuern*, subire teneantur. Quod quidem principium ab antiquissimis iam temporibus in Saxonia fuit vsitatum. Ita enim iam AVGVSTVS, sacri Romani Imperii Septemuir, in edicto de

c) cf. *Acta comit. d. a. 1701. et 1708.*

d) *Secl. I. §. 5.*

anno 1561. quo concessi tributi<sup>a)</sup> solutionem indicit, *Steueraus-schreiben*, disertis verbis omnes eos, qui seruitia militaria non praestent, exceptis clericis, de fundis suis tributum soluere debere asserit, adeo, vt §. *Hätte auch*, ne iis quidem bonis immunitatem concedat, quae hactenus licet ecclesiastica, adeoque ab omni exactatione libera fuissent, postea tamen ad priuatos peruenissent, id est secularia facta essent. Eandem sententiam firmiter tenuerunt omnes sequentes Saxoniae Electores, edictis suis similibus, v. g. de anno 1601. 1609. 1612. 1622. b) praecipue vero IO. GEORGIVS I. edicto steurali a. 1628. promulgato, regulam illam confirmavit c), expressis verbis sanciens, eos quidem fundos qui seruitiis militaribus equestribus reipublicae vtilitatem afferant, a tributo solvendo immunes esse debere, si qui vero praeter praedia ista nobilia alia adhuc teneant, seruitiis illis haud obnoxia, licet nexu feudali obstricta, ab iis collationem secundum sexagesimarum numerum esse praestandam; ex quo patet, iam tunc Principem nullos fundos nisi nobiles, *Rittergüter* stricte sic dictos a soluendo tributo immunes iudicasse, per hoc diligenter seruatum discrimen summa cura caryens, ne cum his, alia, hoc beneficio non gaudentia, ob possessionis communionem collationi subducerentur. Causa autem cur ii fundi, quorum possessores equo militari stipendia facere tenentur, immunitatem a tributis habeant, in caeterorum Ordinum consensu later, qui ipsi fundorum illorum possessores exemerunt. Idem discrimen perpetuo diligenter seruatum, vnde in quolibet edicto steurali, quod post singula comitia emitti solet, in §. *Welche Grafen*, praemissa eorum, quibus seruitia militaria incumbunt, a tributis liberatione, semper adiungitur, hanc immunitatem ad subditos eorum, qui praedia nobilia possideant, nullo modo esse extendendam, sed eos ad soluendam collationem omnino teneri. Videmus itaque hanc commuam Saxoniae Electorum sententiam fuisse, atque adeo etiam eorum, qui alias immunitati plurimum fauebant, inter quos non immerito IO. GEORGIVM I. et II. retuleris, qui non minus in edictis

a) cf. Sect. II. §. 2.

b) In Cod. Aug. T. II. p. 1387. 1394. 1398. 1407.

c) Cod. Aug. p. 1407. §. *Die von der Ritterschafft*, quae prioribus edictis haud continetur.

eis tributariis de annis 1635. et 1661. d) vt reliqua praetermittam,  
 idem iuris feudalis principium lege confirmarunt. Imprimis vero  
 hoc posterius notatu dignum videtur, cum legislator §. *Die von der  
 Ritterſchafft*, etc. retentis primum anteriorum legum circa nobilium  
 immunitatem verbis, diſerte addat, hoc eſſe iuris conſuetudinarii, vt  
 ſola nobilium praedia militaria, non etiam ſubditorum fundi a colla-  
 tione liberentur. Eiusdem Electoris reſcripta ſeſe commendant, d.  
 10. Ian. anno 1668. e) tum ad Collegium, quod ſacris aerarii quam  
 quod priuatis ſiſci largitionibus praeſt, data, ad oftendendum, quam  
 firmiter regulae iſti inhaeſerit. Cum enim comperiffet inueniri  
 praedia quaedam, in locis antea deſertis ſterilibusque, hominum in-  
 duſtria excolta, et, quoniam libris cenſualibus haud inſcripta eſſent,  
 a tributis immunia putarentur; exempro reſcripfit, non ſolum his  
 fundis onera ſecundum ſexageſimas imponenda, verum etiam inpo-  
 ſterum hanc tanquam certam et perpetuam legem obſeruandam, vt  
 ſi qui fundi ſexagenis vel omnino carentes, et hucusque inculti de-  
 nuo ad vſum hominum, vel ex ſiſci poſſeſſione ad manus priuato-  
 rum reuertentur, iis eſſe aut nouas ſexageſimas adſcribendas, aut  
 antiquitus iam inhaerentes et tempore poſſeſſionis dominicae quaſi  
 dormientes, reſuſcitandas, hoc eſt ex decrementalium f) numero,  
 in vſitatas denuo referendas. Et proſecto pauciſſimi ſunt, qui eius-  
 modi legitima immunitate gaudeant, inter quos praecipue ſunt civita-  
 tes, quarum incolae fodiendis metallis occupantur, *Bergſtädte*, item  
 oppida *Weiffenſee* et *Schöneck*. Illae enim, vt rei metallicae ſuccurratur,  
 ex ipſorum Ordinum prouincialium auctoritate atque Principis con-  
 ſenſu dimidiam tantum partem collationis prouincialis et cereuiſariae  
 contribuunt g); oppidum autem, vel potius vicus *Schöneck* ex pri-  
 uilegio CAROLI IV. Imperatoris d. d. Aſcenſ. Mariae 1370. quoad  
 immunitatem ſimilis factus eſt ciuitati *Elnbogen*, quae octodecim  
 annos ante id beneficium impetrauerat, vt ab omni collatione libe-  
 ra eſſet, ſub hac tamen conditione, vt quoties Imperator urbem  
 ingre-

d) *Cod. Aug. Tom. II. p. 1415. et 1483.*

e) *Cod. Aug. Tom. II. p. 1506.*

f) Quae ſexageſimae decrementalium nomine intelligantur, ſupra §. I.  
 huius Sect. dixi.

g) v. inter alia *Securauſchreiben d. anno 1671. §. Weil auch.*

ingrederetur, toties ei 5. libras obolorum, *Heller*, recenti poculo ligneo afferrent, quod et nunc ciues Schoeneckenſes Sereniſſimo Electori noſtro praeflare tenentur. Quod quidem priuilegium Principes Ordinesque Saxonici niſi expreſſe, tacite tamen confirmarunt, cum huic oppido et hodie eadem perpetuo uſu ſtabilita maneat immunitas, vnde non ſolum fit, vt ad ſingula comitia vocetur quidem, vocatumque per delegatos compareat, qui tamen conſultationibus non accedentes, mox redeunt; ſed etiam eiſdem priuilegii mentionem adhuc fieri videmus in comitiis anni 1766. habitis, vbi Ordines id agnoſcentes Principem, ne inde finitimis oppidis detrimentum naſcatur, rogant <sup>h)</sup>.

## §. V.

*Praeſcriptio Immemoralis ratione tributorum Saxoniorum ne cogitari quidem poteſt.*

Alterum argumentum, quo immunitatis praefcriptionem ab aerrario publico Saxonico remoueri poſſe arbitror, ex ipſa praefcriptionis indole eſt peticum. In eo ſcilicet omnes <sup>a)</sup> fere conſentiunt, ſi vlla ſit praefcriptio, qua quis, ſe a tributo ſoluendo poſſit liberare, hoc ea, quae temporis immemoralis vocatur, fieri debere, cum caeterae praefcriptiones omnes hac in cauſa ſufficere haud videantur. At vero, cum haec praefcriptionis ſpecies quotieſcunque adhiberi poſſe dicitur, id exigat, vt de tempore, quo aliquod ius exerceri coeptum eſt, vel quod idem eſt, de contrario aliquo factio plane non conſtet <sup>b)</sup>, exinde neceſſario ſequitur, neminemque fugit, antiquiſſimam licet praefcriptionem, quamuis originem vel a centum ducentisque annis ducat, tamen nondum eſſe immemoriam, ſed ad hoc requiri, vt omnem omnino memoriam exceſſerit, neque conſtet contrarium olim obtinuiſſe <sup>c)</sup>. Iam vero hanc immemoriam praefcriptionem a tributis Saxoniciſ plane alienam eſſe, mox patebit.

Etenim,

h) *Contin. Cod. Aug. To. I. p. 142.*

a) cf. §. 4. et 5. Sect. I. *COCCEII Ius Controv. L. 50. tit. 5. et 6. p. 736. Steuerbeſchwerdeſchrift, in Actis comitorum d. a. 1775. Quaest. II.*

b) *WERNHERI Obſeruat. forenſ. P. III. Obſ. 106.*

c) *STRYCKII Tract. de iure ſenſuum Diſſ. III. cap. 3. n. 18.*

Etenim, si aerarium Saxonicum spectaueris, constat omnino de origine tributorum ab Ordinibus concessorum, quam supra <sup>d)</sup> ad annum 1350. retuli. Constat etiam de initio singularum subditis impositarum, *ausgeschriebenen*, collationum, quippe quod partim supra attigi, partim ab huius rei scrutatoribus ex actis comitiarum, ab eo tempore subinde habitorum, facile disci poterit; egi met enim, si omnium tributorum Saxoniorum principium vel historiam enarrare vellem rem, cum inutilem, et tempus perdituram, tum lectoribus molestam susciperem. Interim res ipsa omni dubitatione caret, certoque certius est, aliquod fuisse tempus quo praediis recens concessum tributum imponeretur, adeoque necesse est, ut, si quis possessor eam huic vel illi concessioni opponere velit, ab hoc praescriptio incipiat. At vero, si quis suam immemorialis praescriptionis subsidium adhuc ultra illud tempus transferre studeat, rem profecto ridiculam susceperit, cum ante impositionem onerum publicorum neque vlla de exactione neque de praescriptione collectarum quaestio incidere possit, potius nemine ad publicos usus quicumque conferente omnes sint immunes. Reclamamus igitur mente et cogitatione prima Saxoniae comitia, quibus Ordines Principi suo aliquam collationem, quae ut supra dixi tunc *Bede* vocabatur, concederent. Quod si itaque vlllo modo apud ciues Saxonicos aliqua immemorialis in causa tributorum immunitas fuisset, fuisset profecto nullo alio tempore, quam ante primo impositum tributum. At vero nec tunc mihi videntur ciues exinde praescriptionem aduersus recentem collationis impositionem deducere potuisse, tum, quia praeterito tempore nil fuerat a cuius praestatione per immunitatis possessionem se liberarent, tum, quia, etiamsi solum *to* non conferre pro exemptionis iure allegari posse putassent, tamen id nec ab ipsis Ordinibus nec a ciuibus propterea fieri potuisset, quia illi tributum ipsum concederent, idque non tam pro se, quam nomine subditorum a quibus delegati essent atque ad Principem missi <sup>e)</sup>. Cum vero tunc liberationem ab imposito recens tributo, ob tempus memoriam excedens ne opponerent quidem, quomodo nunc ea cum aliqua specie obici poterit, postquam contributionem tunc coeptam per plurima saecula continuarunt. Idem, quod modo commemoravi, facillime

d) §. 2. Sect. II.

e) cf. §.



cillime applicari potest, ad singula noua tributorum genera, quae variis subinde in comitiis Ordines urgente necessitate Principi concessere. Nam quemadmodum nec hic ex allegata iam ratione poruissent in non praestito huc vsque noui generis tributo fundamentum recusationis inuenire, ita eo magis rem frustraneam susciperet, qui nunc eodem argumento, tanta annorum serie praestiti tributi intercedente, vti velit.

§. VI.

*Interruptio praescriptionis continua.*

Alia causa, quae praescriptionem ab omnibus plane tributis alienam esse iubet, interruptio est, singulis comitiis, singulisque adeo concessionibus praescriptionis continuationem prohibentibus. Etenim, vt supra <sup>a)</sup> iam docui, conceduntur ab Ordinibus Provincialibus in comitiis congregatis tributa ab omnibus iis exigenda, qui patriae equo in bellum instructo non succurrunt. Ita enim, vt pauca tantum exempla commemorem, anno 1631. in comitiis, testantibus Adis <sup>b)</sup> de omnibus fundis, *allen liegenden Gründen*, concessum fuit tributum, exceptis solummodo iis, qui equo militari patriae praesto esse tenentur. Hoc postea in omnibus similibus, quae sequente tempore factae sunt, concessionibus publicis constanter seruatum scimus, cum onerum ad sustinendam rempublicam concessio fere praecipua conuocandorum Ordinum causa esse soleat. Non igitur opus esse existimo singulorum horum comitiarum scriinia expilare; conuenit tamen anno 1728. habitum plane omittere nequeo, vbi ipsi Ordines in libello concessionis profitentur, si quae praedia, militia equestri non onerata inueniantur, quae ad hoc vsque tempus nihil soluerint, vel quia olim in manibus Principis fuissent, vel in catastum de anno 1628. non relata, eis sexagesimas esse imponendas, manifesto argumento, totius Saxoniae hanc conspirantem sententiam fuisse publiceque declaratam, nullum omnino fundum in his terris esse posse, qui, nisi vel in sacris piisue manibus sit, vel militiae eque-

P. 2

a) §. 4. Sect. II.

b) v. *Der Ritter-schafft u. Städte Erklärung d. 22. Jun. d. a. cf. §. 2. Sect. II.*



stris vere obnoxius, a sexagesimarum onere eximatur. Neque est, quod quis putet, concessionem ab Ordinibus factam, propterea eorum praediorum, quae ad id tempus nihil soluerunt, immunitati haud obesse, quoniam in concedendis collationibus disertis verbis Ordines tantummodo visitatarum sexagesimarum rationem haberi volunt. <sup>c)</sup> Id enim manifesto eo sola de causa adiiciunt, ut si qui fundi non solum visitatis sed decrementalibus etiam, vel caducis sexagesimis subiecti sint, tributa modo de istius, non etiam de reliquis exigantur, quod omni tempore et exactiois difficultas, et possessorum metuenda oppressio disuasit. Cum igitur, quod nemo in dubitationem vocabit, Ordines Prouinciales in comitiis congregati omnium ac singulorum ciuium Saxoniorum personam sustineant, ac nomine *der Landschaft* agant, necessario sequitur concessionem in comitiis ab Ordinibus perfectas ita esse considerandas, ac si singuli Saxoniae incolae eas dedissent et consensu suo approbassent; vnde prono aluo fluit, quamlibet nouam in comitiis factam concessionem, pro noua interruptione immunitatis habendam esse, quoniam sine dubio is in possessionis continuatione interpellatur, cuius nomine Principi ea tributa conceduntur, a quibus per praescriptionem sese liberare cupit, quod argumentum eo maiorem vim habere videtur, si consideremus, in qualibet comitiali tributorum concessionem, Ordines solere aduersus omnes exemptiones declamare, Principemque rogare, ne vllum, cui ex praedii sui natura ad communem utilitatem sit conferendum, eximi patiatur, cuius rei causa ad vniuersam actuum comitialium congeriem, ipsumque anni 1775. exemplum prouocare liceat. Quod cum iterum ipsius prouinciae et omnium, qui in eo degunt, nomine fiat, intelligitur, illos, qui sibi libertatem praescriptionis auxilio comparare student, eosdem esse, qui hanc praescriptionem interpellant. Quid? quemadmodum iuris notissimi est nullam praescriptionem compleri posse, si interiecto tempore leges publicae ferantur, quae id, quod per quietam temporis possessionem acquiri debet, prohibeant, aut id, cuius liberatio intenditur, iubeant, ita et hoc modo omnis exemptionis praescriptio in causis feudalibus Saxoniae certissime auerti poterit. Scimus autem finitis quibus-

c) Harum naturam explicauit §. I. Sect. II.

quibuslibet comitiis Electores Saxoniae solere publica lege tributa ab Ordinibus concessa indicere, eorumque solutionem imperare <sup>d)</sup>, eoque ipso, si qua possit esse praescriptio, eam profecto interrumpunt, non solum pro se, et ipsis tributis imponendis, sed etiam imprimis eo, quod iisdem sanctionibus diferte cauetur, imperatas has collationes ab omnibus omnino fundis esse soluendas, nisi iis, qui ob conditionem et naturam suam exempti sunt, exceptis. Idem habetur in mandatis, quae collectorum receptoribus dari solent, *Steuer-einnehmer - Instruktionen*, in quibus adhuc clarius prohibetur vlli praedio in colligendis tributis parcere, nisi equo publico instructa sint, vel possessorum suorum conditione liberationem ducant. Quae mandata, quamvis legum publicarum nomine vix recte insigniantur, nihilominus tamen iis facultatem interpellandae praescriptionis abudicaueris, si cogites, circa hanc rem Ordines in consilium vocari, et summum aerarii curandi Collegium eiusmodi mandata receptoribus secundum formulam ab ipsis Ordinibus nomine prouinciae, *der Landschaft*, oblatam, dare solere. Vt autem inter tam multa eiusmodi mandata vnum tantum nominem, id tantum commemorabo, quo tributorum receptores d. d. 15. Febr. 1642. <sup>e)</sup> de officio suo instructi sunt, in quo praeter reliqua §. 2. et 5. continetur, si qui fundi reperiuntur, qui hucusque nihil ad aerarium publicum contulerint, eos non esse liberandos, neque vllum, se eo excusare posse, quod in superioribus libris censualibus non sit comprehensus, potius omnia ac singula praedia sexagenis esse oneranda, nouosque libros censuales ea de causa accuratissime conficiendos, vt inde, an singuli fundi tributis ad aerarium pertinentibus subiaceant, recte cognosci possit. Ex quo satis apparere videtur, eum, qui in Saxonia aduersus aerarium praescriptione se tueri velit, nunquam in bona fide esse, neque eam ex diuturnitate temporis praesumi posse, cum ipse per singulas in comitiis factas concessiones, imperataque mox publicis legibus tributa monitus, semper contrarium sciuerit, nempe se non esse liberum a collationibus, verum eas ab omnibus fundis esse soluendas, qui operas militares non praesent, neque ex persona possessorum exempti sint; quod nisi pro mala fide habetur, quid eo nomine insigniri possit, profecto ignoro.

F 3

§. VII.

d) cf. §. 4. Sect. II.

e) *Cod. Aug. T. II. p. 1431.*

*Præscriptionem aerario opponens, contra se ipsum præscribit.*

Huius propositionis fundamentum in notissimo discrimine inter aerarium publicum et fitum pono. Quemadmodum enim iam in republica Romana hic Principis esse, illud ad rempublicam pertinere dicebatur, sic et nunc in Saxonia eadem differentia seruatur, cum alia ratio sit reddituum Principis, *der Cammer*, alia eorum, quæ a subditis ad concessa in comitiis tributa conferuntur, *der Steuer*. Verumque antiquissimis temporibus coniunctum, mox anno 1451. separatum, mox denuo commixtum, tandem anno 1570. denuo seiuinctum est. <sup>a)</sup> Ab hoc igitur tempore aerarium perpetuo disiunctum mansit, et quemadmodum reditus Camerae <sup>b)</sup> ad ipsum Principem eiusque priuatum usum pertinent, sic Ordines prouinciae aerarium sibi adscribere non dubitarunt. Est hæc vox communis omnium conuentuum prouincialium, <sup>c)</sup> quam Principes minime indignati sunt, nec reprobarunt seruata tamen ipsis iure meritoque summa inspectione ac cura. Cuius rei argumenta solent imprimis tum ab ea descriptione singulorum vsuum, ad quos collationes concedunt, tum ab examinatione rationum, a quibusdam ab Ordinibus ex ipsorum numero ad hoc electi, summis sub auspiciis facta. Cui addi potest ipsum Principem conuocato 1708. Ordinum seledu, *Ausshusstage*, cum certa pecunie summa in Hollandia mutuo sumta ex aerario publico refundenda esset, Ordinibus obligationes formulam præscripsisse, in qua his verbis vsus est, *Aus der Chur- und Fürstl. Sächsischen Obersteuereinnahme, als dem gemeinsamen Landesaerario*, in quem etiam modum obligationis promissio facta, hoc mutuo sumtam pecuniam redditum iri, *aus der Obersteuereinnahme, als dem gemeinen Landesaerario*. Quod si itaque ipsi Ordines et per eorum vocem tota Saxonia aerarium sibi attribuit, ridicule agunt, qui vt hoc diminuat, præscriptæ immunitatis exceptione efficere student, similesque mihi videntur, ei, qui vel propriae rei familiari aliquid sub-

a) §. 2. Sect. II.

b) Eo etiam referenda onera fundorum perennia, quorum mentionem supra Sect. II. feci.

c) v. imprimis Instructio, data in comitiis anni 1775, iis, qui ex grege Ordinum ad examinandas rationes steurales deputabantur.

subducere, vel plures reditus habens, eorum vnum praescindere velit, vt ipsi ex altero supplere cogatur. Iure igitur ac merito confirmare possum, qui praescriptionis efficaciam in causis steuralibus Saxoniae asserunt, contra se ipsos praescribere, cum hac sua sententia ei aerario publico aduersentur, pro quo augendo tota prouincia in comitiis quam maxime laborat, et eam ipsam ob causam a concessis tributis exemptionem improbat et deprecatur. Cuius rei rationem, optandum foret, vt ii imprimis haberent, qui ipsi Ordinibus adscripti, in comitiis contra omnem exemptionem simul acerrime pugnant, vt vero si de agris, quos praeter ipsa feuda possident, militiae equestri non obnoxii agitur, omnia experiuntur, ne hi quicquam ad communem patriae vtilitatem conferant, suumque ex feudo petitum priuilegium, praeter constitutos ipsi fines ac vltra, quam publica Saxoniae conditio permittit, sui commodi causa prorogare student.

§. VIII.

*Legitimum praescriptionis immunitatis initium esse non potest.*

Quum supra <sup>a)</sup> demonstraui, praescriptionem immemorialis temporis in causa tributorum propterea locum inuenire non posse, quia tempus deficiat, initii memoria carens; si eiusmodi praescriptionis initium adesse debeat, vt hoc vel ab eo tempore proficiscatur necesse est, quo quodlibet tributum ab Ordinibus concessum est, vel ab eo, quo is, qui soluere debebat, haud soluit. Istius nullam rationem habendam esse, itidem iam vidimus, quia subsequentium annorum diuersae leges tributariae omnem praescriptionem interpellarunt. Restat itaque vt dicam de eo, si neque exactor exigat, neque possessor sua sponte soluat, cui addi potest tertium, nempe si fundus tempore catastro confecti in eo scribi neglectus est; in quibus omnibus delictum contineri videtur. Vt autem de posteriori incipiam, constat, antiquissimis temporibus factum esse, vt concessio ab Ordinibus tributo singuli fundi, de quibus praestanda esset collatio in scripturam redigerentur, idque fieret vel a magistratibus, vel a personis hac de causa ab aerarii publici curatoribus missi, qui

a) §. 5. Sect. II.

plerumque *Reuisorium* nomine appellabantur, in qua scriptura, vel libro censuali, fundi tributarii enumerandi erant, seruato catastro proxime praecedentis ordine, et si qui in isto non essent scripti, causa omissionis peruestiganda, et quando collationi obnoxii reperirentur, inde noui catastro supplementum faciendum. Si itaque fundus quidam nihilominus libro censuali consignatus haud fuerit, sine dubio culpa, quam catastro auctor commisit, adscribendum foret, quo quidem negligentiae et inobedientiae, quod haud leue est in personis officium sustinentibus delictum, poenam mereri, non autem publico aerario praeiudicium vel damnum inferre poterat, cum nemo ex alterius facto vel delicto damnum sentire ac grauari debeat. <sup>b)</sup> Hic facile praeuideo fore, qui mihi opponant, quemlibet superiorem, cuius minister in officio ipsi delegato peccet, ex eius delicto obligari. At vero hoc nonnisi tum verum est, quando mandati finibus se contineri patitur; quod si vero eos accedat inutiliter facit, <sup>c)</sup> neque is in cuius officio est, inde tenetur, verum plane aliud, <sup>d)</sup> id est, non mandantis sed suo nomine, egisse videtur, quo mandantis conditio nunquam deterior reddi potest. <sup>e)</sup> Cum itaque aerarii publici ministri, quibus datum est, inuestigare an extent fundi a sexagenis liberi, tamen nec militiae equestri subiecti; nec possessorum priuilegio tuti, a fundis vero ita repertis aut antea iam tributariis collationes exigere, alterutrum vel culpa, vel dolo omitrant, adeoque id faciant, cuius contrarium ipsis mandatum est, vnusquisque vider, hoc factum eorum turpe ac illegitimum aerario nocere non posse. Par ratio est receptorum inferioris classis, *Untereinnehmer*, quorum in monendis et exigendis collationibus commissa negligentia ac retardationis in soluendo patientia, *wenn sie Reste aufwachsen lassen*, aerario praeiudicium inferre atque adeo ipsum iure, quod ex publica tributorum impositione habet, priuare nullo modo poterit, imprimis cum et ipsi illi receptores in mandato habeant circa vniuersorum ciuium debitas collationes vigilare, adeoque contra fa-

ciem-

b) l. 74. ff. de R. I. l. 14. §. 2. in fin. ff. ad Scr. Trebell. l. 5. §. 5. ff. de op. nau. nunc. CARPZOV P. IV. c. 17. def. 13. no. 5.

c) §. 8. l. de mandato.

d) l. 5. pr. ff. mand.

e) l. 3. pr. ff. mand. BACHIVS ad BERGERI *Oec. jur.* p. 524. editio non.

cientes manifesto peccent. Simili modo nec iura patiuntur, ut quis ex proprio delicto commodum capiat; f) quemadmodum autem sine dubio is delinquit, qui, quae prius ipse tributa per Ordines Principi concesserat, ut lege publica omnibus subditis imponerentur, ea, sprete lege, cui, qua subditus, obedire debebat, animo peruerso ac praefractions non soluit; ita et huic legitimum inchoandae praescriptionis tempus, bonamque fidem deesse, patet. Quid? quod nulla omnino praescriptio absque facto praescribentis incipere possit, quod in iis rebus, ubi alterius est, quicquam ab altero postulare, huius denegatione continetur, cui ab altera parte accedere debet, in ea denegatione acquiescentia. g) Haec autem cum in causa tributorum non sufficiat, nec ab inferioris classis receptoribus, verum ab ipsis prouinciae Ordinibus, quibus aerarium Saxonicum tribui, supra vidimus, vel saltem ab aerarii publici summis curatoribus expectari debeat; necessario sequitur, si quis praescriptionis exceptione aduersus collationis exactionem sese tueri vellet, ei probandum fore, non solum eam aliquando de fundo, cuius immunitatem defendit, denegatam esse, sed etiam huius rei notitiam, ad utrumque collegium peruenisse, et utrumque istam tributi denegationem patientia sua ac comprobatione confirmasse, quae demonstratio, quam difficilis sit, vnusquisque statim intelligit.

### §. IX.

#### *Argumentum a priuilegiis.*

Nec leue contra immunitatis praescriptionem argumentum est, quod a priuilegiis duci potest: cum enim, qui in immunitate a collectis praescriptioni vim tribuunt ei magnum pondus adiacere putant, equiparando immemoriam cum priuilegiis, quorum maior adhuc potentia sit, quam omnis praescriptionis; h) eomet contra ea mihi videor praescriptioni aduersus tributa non leue vulnus illaturus, si in Saxonia nec priuilegiis vllum locum in acquirenda immunitate concedi

f) l. 174. ff. de R. I. c. 16. X. de rescript.

g) l. 18. ff. quemadm. scriuit. amit. BERGERI Oec. Iur. L. I. T. 2. §. 3. not. 13. et L. II. T. 3. §. 2. n. vn.

a) BASTINELLER l. c. §. 14.

cedi posse, demonstrauerim. Et supra quidem iam vidimus, in eo Principem Ordinesque semper consensisse,<sup>b)</sup> vt nemo facile a soluendo tributo eximeretur, praeter eos, quorum immunitas ab vtrisque esset approbata. Est quidem in vniuersum inter Principum iura eminentia, hoc tam praecipuum quam suauissimum, vt virorum de re publica bene merentium virtutibus pro dignitate gratiam referre, eaque suo ad beneuolentiam procliu animo indulgere possint, quapropter et in Saxonia antiquissimis temporibus quaedam exempla, datae a Principibus immunitatis tributariae videmus, quae etiam in edicto tributario d. a. 1561. seruata sunt. c) At vero haec res postea aliquam mutationem subiit. Cum enim sequentes Electores, pro innato Principibus Saxonis patriae amore viderent, eiusmodi priuilegiorum copiam aerario publico, ipsisque Ordinibus, ac subditis ingens damnum inferre, diminuendo illius quotidianos reditus et subducendo exemptos communi onere, recteque cogitantes beneficium cuiusdam datum, quo reliquorum ciuium molestia augetur, beneficium nec appellari posse, ac multos saepe inueniri, qui gratia Principum abutantur, factum est, vt, cum Ordines prouinciae in comitiis anno 1660 et 1661. habitis Electorem IO. GEORGIVM II. rogarent, vt concessa priuilegia, solutis reipublicae causa reuocaret, Princeps precibus non abnueret, potius concederet, d) vt priuilegia hucusque imprimis post librum censualem d. a. 1628. data, eorumque causae a collegio sacris largitionibus praeposito examinarentur ac ponderarentur, ita, vt cum iis, qui pro omni collatione certam ac determinatam summam stipulati sint e) pro ratione praesentium

b) §. 4. Sect. II.

c) *Cod. Aug. Tom. II. p. 1371. §. Aber die Güter, sub finem.*

d) In recessu horum comitiarum, *Landtagsabschiede, §. was weiter.*

e) Hoc appellatur *Gnadenannnes* vel *Sreuerfixum*, quale priuilegium, quamuis olim praedio nobili S. adeo feudi titulo largitus erat, nihilominus postea abolitum est, vt docet rescriptum in appendice sub C. Aliud exemplum reuocatae immunitatis affert Ill. RECHENBERG dissertatione saepe adducta §. 13. qua olim praeditae fuerant certae in hac vrbe aedes, feudi quidem naturam habentes, militiae tamen equestri non obnoxiae. Cuius rei, cum mihi accuratiorem notitiam comparare licuerit, hoc addo, possessores tempore litis motae exemptionem suam non magis a praescriptione, quam a priuilegii beneficio deduxisse, at nihilominus illam Principis et Ordinum communem priuilegiorum improbationem fenserunt, coacti in post-



rium onerum publicorum transigendum, iis vero, qui ad vitae tempus beneficium accepissent, id esset seruandum, addendo, reliquorum priuilegia, mit *Genehmhaltung einer getreuen Landschaft* (ipsa sunt verba) certo modo coarctanda videri, denique benigne promittendo, se in posterum nulla eiusmodi priuilegia concessurum, nisi audita dicti collegii sententia. Ab hoc itaque tempore dicunt nullum priuilegium aduersus aerarium Saxonicum allegari posse, in quo non huius ipsius scientia vel consensus atque adeo ob proprietatis ius et examinandarum rationum facultatem ipsorum ordinum voluntas ac approbatio concurrat. Id testantur fere singulorum comitiarum exinde habitorum acta, ex quibus, ne nimis prolixior sim, ea tantum de annis 1763. et 1775. commemorare liceat, vbi Elector Serenissimus benigne passus est, vt Ordines maiorum exemplo concessioni variorum tributorum, solennem, summa cum eleuatione, conditionem adicerent, ne cuiquam, secundam allegatam Electoris IO. GEORGI II. declarationem, priuilegium exemptionis tribueretur. f) Ex quibus omnibus certissime patet, si qua intercedat intuitu exemptionis a tributis inter priuilegium et praescriptionem similitudo, eam in eo versari, quod neutri contra aerarium aliqua sit auctoritas.

## §. X.

*Contraria est praescriptio decisioni LXV. de anno 1661. et XVII. de anno 1746.*

Sed ipsae adeo leges in Saxonia inueniuntur, ex quibus praescriptionem in causis aerarii publici cessare, partim interpretatione colligi potest, partim diserte prohibetur, nempe decisio 65. de anno 1746. cum aliquod interiectis mandatis. Quod vt eo melius intelligatur, primo notandum, has singulas leges non nisi de pactis priuatorum agere, quibus vnus, alteri libertatem fundi ab oneribus promittit; deinde videndum, quid in vnaquaque earum legum sit constitutum. In decisione itaque 65, quae nonnisi de praediis integris cum pacto euictionis circa quaecunque onera venditis, agere

vide-  
rum, collationem de impositis olim non 1700. vt RECHENBERG ait, sed multo minore, satis tamen ampla, sexagesimarum summa soluere.  
f) v. *Bewilligungsschrift* istorum annorum.



videtur, Elector IO. GEORGIVS II. iuber, eiusmodi pactum inter priuatos initum, quoad onera publica inualidum esse, eaque aerarium aut magistratum, vel dominum emphyteuticarium haud obligari, quia damnosum sit reipublicae fundos absque oneribus vendi; ex quo sequitur, possessorem eiusmodi praedii cum pacto liberationis emti, nihilominus publicas collationes secundum sexagesimas subire debere, <sup>a)</sup> in qua re tamen Diuus FRIDERICVS AVGVSTVS rescripto d. 5. Ian. 1731. dato, <sup>b)</sup> hunc modum adiecit, vt ii tantum fundi, qui post annum 1628. eiusmodi pacto a collectis publicis liberati essent, antiqua onera sustinere cogentur; mox vero subsequutum eiusdem Regis mandatum d. 26. Ian. 1732. <sup>c)</sup> imprimis de iis fundis agens, qui ad integrum praedium pertinentes, ab eo, retentis tamen omnibus oneribus, liberi venduntur, quae pacta pro futuro, i. e. a die huius mandati, irrita, quoad praeteritum autem in emtoris arbitrio esse iubet, velint fundum recepto pretio venditori restituere, an vero pati, vt pro ratione separatorum fundorum onera iis imponerentur. Tandem 1746. prodijt decisio FRIDERICI AVGVSTI II. decima septima, qua non solum illam IO. GEORGII II. confirmavit, verum eam quoque quasi auxit. Cum enim forte factum esset vt quidam fundos, quos stipulatione liberos ab oneribus emerant, per 30. vel 40. annos possedissent, adeoque aduersus aerarium nisi ex pacto cum priuatis inito, tamen ex praescriptione tutos se crederent; sanxit legislator, vt nec haec, et quidem quoad tempus post d. 22. Iunii 1661. vsque ad d. 2. Iulii 1746. nulla omnino, ratione autem praeteriti temporis intra 40. annos allegari possit, addito ceteroquin neque post hanc legem pacta priuatorum deliberandis a collatione vel in totum vel pro parte praediis, absque consensu summi collegii tributarii valere debere, nec eum, qui antea euictionis praestationem promississet, vel ad eam ipsam vel ad indemnitate tenereti, relicta simul potestate possessori reddendi fundi huc vsque liberi ad praedium principale. <sup>d)</sup> Ex his itaque non

a) cf. PHILIPPI *Obseru. ad banc decif.*

b) *Cod. Aug. Contin. T. II. p. 157.*

c) *Ibid. 158.*

d) cf. Venerandus PATER *in addit. ad BERGERI Occ. Iur. p. 161. et CHR. GOTTL. EINERTI diff. ad decif. XVII. d. a. 1746.*

non solum Electorum Saxoniae seria voluntas omni immunitati a tributis quam maxime aduersans, pro aerarii salute ac integritate sum-  
 moperare laborans, quam maxime conspici, sed etiam eorum argumen-  
 tario refelli potest, qui in omni praescriptione pactum tacitum inesse  
 putant, et consensum tacitum eius, qui contra se praescribi patia-  
 tur. Quemadmodum enim haec per ea, quae supra disserui, ex mul-  
 tis aliis rationibus ab hac causa mea plane aliena est, ita, potius sic  
 concludere liceat: quodsi legibus Saxoniacis ne expressa quidem pa-  
 cta de fundorum exemptione a collectis tum ratione aerarii, tum ra-  
 tione ipsorum contrahentium sustineantur, multo minus pactis taci-  
 tis aliquam vim in aerario publico detrimentum tribui posse. Cui,  
 cum ipsa expressa prohibitio omnis praescriptionis in dicta decisione  
 de anno 1746. accedat, quis est, qui de eius nullitate in hac causa  
 adhuc dubitare possit. Hoc vnum addo, quod cum eadem decisio  
 anni 1746 praescriptionem etiam in tempus, quod eam praecessit,  
 interdicat, id signum esse, hoc non nouum ius fuisse hac demum le-  
 ge introductum, <sup>e)</sup> sed verus iam ab antiquissimis temporibus iure Sa-  
 xoniae publico receptum principium. Neque vereor obiici mihi  
 posse, in eadem nouissima decisione praescriptioni contra aerarium  
 aliquam auctoritatem tributam videri, ratione eorum de immunitate  
 pactorum, quae tempore 40. annos publicationem decisionum istarum  
 antiquarum superante, id est ante annum 1621. fuerunt inita. Etenim  
 ad haec decisionis verba recte intelligenda opus videtur singulas iis  
 comprehensas propositiones diligenter secernere, simulque in ani-  
 mum reuocare id, quod supra dixi et ipsa decisionis inscriptio docet,  
 eius summum consilium in eo versari, ne conuentionibus priuatorum  
 aerario publico aliquod detrimentum inferatur, etiamsi longa secun-  
 dum istas conuentiones possessio seu praescriptio accesserit. Erat  
 autem pactis omnis aduersus aerarium vis per decisionem 65. d. a.  
 1661. iam detracta, ergo de hoc non opus erat noua lex, sed satis  
 erat priorem repetere, vnde dicitur, *dass es hierbey nochmals verblei-  
 bet*; at si haec priuatorum pacta praescriptione confirmata essent de  
 his legislator sancire volebat, sanxitque distinguendo inter conuen-  
 tiones post decisionem 65. et ante eam initas, quoad has tamen non

G 3 in

e) CHRISTOPH HENR. LORENZII V. C. *diff. de obligatione legis in  
 praeseritum.*

in infinitum, sed non nisi quadraginta annos priores, ac neutris per praescriptionem vllum munimentum validitatis accedere, sed nihilominus nullas manere decreuit. Omnis itaque interpretationis difficultas eo continetur, quod inter has duas propositiones inserta est tertia, verbis, *und wegen der Steuern*. Non autem duas tantum sed tres propositiones hic haberi, nempe 1) quoad pacta post decisionem 65. 2) quoad steuras, 3) quoad pacta intra 40. annos ante dictam decisionem 65. inita, manifeste patet, partim ex variis voculis connectendi, *und*, item, *auch*, partim ex interpunctione post verbum *Steuern* diligenter adhibita. Quodsi itaque diuinare possum, videtur mihi cum haec decisio 17. ante publicationem lustraretur, legislatori vile aut necessarium visum esse, hac occasione generalem sanctionem de omni intuitu collationum publicarum praescriptione prohibenda opponere, sed forte ex errore scribentis verba, *und wegen der Steuern*, dislocata fuisse et hoc loco posita, cum potius post verbum, *betrifft*, poni debuissent. Si quis autem sit, cui haec interpretatio displiceat, ei commendo Cel. EINERTI <sup>f</sup>) non minus improbabilem explicationem, qui quamvis in eo mecum conueniat, vt omnem ab his verbis fauorem praescriptionis intuitu aerarii excludat, tamen pacta in tione ad aerarium publicum, ante annum 1621. supponit. Neque profecto, si alia interpretatione vteremur, ratio vlla allegari posset, cur legislator, dum initio huius legis, similiter vt in decisione 65. non aerarii solum publici, sed etiam census emphyteuticarii aliorumque similibus praestationum mentionem facit, hic omnibus reliquis omissis de pactionibus solas collectas tributarias concernentibus dicat; multo minus credendum summo Electori in mentem venisse, praescriptionem, quam aerarii publici rationi aduersari supra docui, non nisi inde ab anno 1621. improbare, antea vero admittere. Sed quomocunque haec sint id saltim euicisse mihi videor, praescriptioni et leges Saxonicas publicas obstare.

§. XI.  
*Resistantur obiectiones, et quidem α) eo, quae a Donativbeytrag vulgò  
 repeti solet.*

Propositis iam argumentis, quibus sententiam meam ratione immunitatis per praescriptionem acquirendae, confirmandam existi-

f) *Diss. cit. p. 13.*

maui, iure suo lectores a me postulare videntur, vt dubitationes  
 iis forte contrarias, remoueam, cui quidem iustissimo sane desiderio  
 satisfacere, officii ratio a me postulat. Ac primo quidem loco ex  
 nominanda mihi videtur obiectio quo sententiae meae firmissimum  
 quasi fulcrum, nempe, quod nullum omnino praedium, nisi equum  
 militarem sistens a collatione sit immune <sup>a</sup>), labefactare aduersarii  
 tentant. Petitum est hoc argumentum a pecunia illa, quam singulis  
 comitiis nobiles, *die Ritterschafft*, de praediis, quae alias equum in-  
 structum in casu mittere tenerentur, loco eius Principi sub dona-  
 tionis titulo offerre solent, *Donatungeld*. Cum itaque possessores  
 horum fundorum liberi sint ab oneribus tributariis, inde colligi solet,  
 omnes eos, qui ad hanc pecuniam quicquam conferant, *einen Do-  
 nativbeytrag geben*, aequae a tributis esse immunes, siue dicti generis  
 fundos possideant, siue minus. Quae quidem sententia eo magis a  
 veritate recedit, quo certius est, fundamentum exemptionis, qua  
 praedia, de quibus pecunia donationis conceditur, a contributione  
 communi gaudent, non esse hanc pecuniae solutionem, sed  
 ipsam horum praediorum qualitatem ac naturam, scilicet obligatio-  
 nem, instructum equum ad castra mittendi, pro qua, Principis est gra-  
 tia, si certam pecuniae summam oblatam accipere velit. Inde ne-  
 cessario efficitur, dictam pecuniam nequaquam regulae instar in di-  
 iudicanda immunitate praediorum considerari posse, quod et ex eo  
 patet, tum, quod olim tempus fuit, quo ipsa praedia, quae realiter  
 nobilia appellantur collationem ad aerarium publicum solue-  
 rint <sup>b</sup>), tum quod principium illud, omnes fundos vel tributis sol-  
 vendis, vel militia equestri patriae succurrere debere, iam multos an-  
 nos extiterit, fueritque receptum, antequam pecuniam istam, tan-  
 quam donationem a nobilibus Principi oblatam esse, vnquam legi-  
 mus <sup>c</sup>), vnde satis superque intelligitur ipsam istius pecuniae solu-  
 tionem adeoque nec contributionem, posse quicquam potestatis ad  
 liberandum a tributis habere, ad quae antiquitus communis omnium  
 erat obligatio, postea vero exemptio non nisi iis concessio, qui Prin-  
 cipem equo instructo ad castra sequerentur. Deinde licet singula  
 edicta

a) v. §. 4. Sect. II.

b) v. §. 2. Sect. II.

c) *Ibid.*

edicta tributaria, vel reliquas de publicis collationibus leges per-  
 curras, tamen in nulla earum exemptionem iis praediis tributam, re-  
 peries, quae pecuniam donationis aut dant, aut aliquid eo conferunt,  
 quamuis caeterarum iure Saxonico receptarum immunitatem mentio  
 fiat. Haud maius praesidium exemptionis in eo collocandum est,  
 quod ista praedia ad pecuniam donationis conferentia plerumque  
 nexu feudali obligata sunt. Nam, qui sic philosophantur, petunt  
 principium, atque ex specie concludunt de genere, hoc est, prius  
 ostendere debebant, tributa nonnisi de praediis allodialibus, concedi,  
 fallunturque imprimis eo, quod nulla omnino feuda esse posse pu-  
 tant, quam quae seruitia militaria, debeant, quod utrumque tamen  
 cum vniuerso iuri feudali, tum rei Saxonicae rationi atque expe-  
 rientiae manifestissime repugnat. Vero, si rem recte consideraueris,  
 contributio ista, *der Donativbeytrag*, nonnisi pacto priuatorum niti  
 videtur, quo maiores possessorum feudorum militarium, postquam  
 Principi pecuniam donationis promittendo obtulissent, vile ac com-  
 modum sibi esse putarunt, si possent alios, nempe feudorum non  
 militarium possessores, hoc est, eorum fundorum, qui hucusque  
 seruitia equestria praestiterant, in communionem solutionis trahere  
 et persuadendo, aut alio modo efficere, vt aliquam dictae pecuniae  
 donationis particulam, accedente postea Principis approbatione in se  
 fusciperent, eamque ad summam a solis feudorum militarium posses-  
 soribus Electori oblatam, adeoque a solo hac corpore debitam ea li-  
 beralitate, qua, aut forte proprii commodi vana spe conferre pro-  
 mitterent. Haec igitur conuentio non aliter intelligi poterit, nisi  
 saluo aenario <sup>d</sup>), quippe cuius iura, si per eiusmodi pacta inter ter-  
 tios inita deminui posse statuamus, eius conditionem deterio-  
 rareremus ac priuatorum, quibus per aliorum contractus derogari ne-  
 quit. Quis enim verbi gratia dubitet, perquam iniquum ac iniustif-  
 simum fore si quis ciuis sub alio magistratu habitans, sub alio praedia  
 habens onera de his debita, illic publico thesauro inferre, aut si  
 quis subditorum rusticorum alii praedii feudalis possessori annuam pe-  
 cuniam

d) Vnde nuper sibi bene consuluisse videtur, possessor quidam talis  
 praedii in regione Lipsiensi rei Saxonicae publicae intelligentissimus, qui  
 cum de contribuendo ad pecuniam donatiuam adiretur, id recusandum  
 censuit.

cuniam stipulari vellet, eaque se liberum a praestationibus suo domino faciendis existimare. Cui accedit, quod HORNIVS \*) dicit, inveni in Saxonia quaedam eiusmodi praedia, quae quamvis ad donationis pecuniam particulam conferant, nihilominus tamen tributa ad aerarium dare cogantur; quod, si verum est, ut mihi ipsi aliquot eiusmodi exempla nota sunt, habes novum pro firma et constanti regula argumentum, nullum omnino fundum natura sua ab oneribus tributariis immunem esse posse, nisi qui equum instructum ad castra mittere obligatus sit, qui singuli nominati sunt in catalogo equitum de anno 1622. *Ritter-Rolle*. Non ignoro quidem in comitiis de anno 1775. nobilium ac civitatum delegatos Serenissimo Electori libellum sub nomine, *Steuerbeschwerdeschrift*, obtulisse, eique adiecisse quasdam quaestiones huc pertinentes, in quarum quinta, rationes tum pro liberatione dictorum praediorum a tributis, quum contra eam recensitae sunt; sed fateor, illas ab his, quam maximopere vinci, quod facile foret per singulas eundo ostendere, nisi cum res ipsa loqueretur, tum ego tempore destituerem. Id tamen praeterire non possum, primo Principem per verba, quae ex recessu comitiali de anno 1712 allegantur, praediis ad pecuniam donationis conferentibus, minime exemptionem a tributis promississe, sed tantum proportionem constituisse, secundum quam praedia ista eo usque non tributaria (iure an iniuria de hoc tum non quaerebatur) si vellent pecuniam nobilium donatiuam conferre, id facere aequum sit, deinde quod argumentum ab immunitate cerevisiariorum, *freyen Tischtrunk*, ducunt, vereor an validum sit, cum etiam forte praediis nobilibus in vno familia sint, tamen inde ad conformitatem in reliquis omnibus non liceat concludere.

## §. XII.

β) Quoad librum censualem de anno 1628.

Aliud argumentum aduersarii pro praescriptione a celebri libro illo censuali, qui anno 1628 in Saxonia conditus est, deriuant; quum enim huius magna in causis feudalibus sit auctoritas ac imprimis ea, ut ultra hunc terminum non facile retro eatur, inde concludunt in *lurisprud. Feud.*

H

cludere student, ea praedia, quae dicto catastro non comprehendantur, posse ab hoc anno, siue ante collationem dederint, siue minus, praescriptionem immunitatis incipere. At maximopere falli mihi videntur, qui huic catastro celeberrimo, et vt plurimum normali, illimitatam in causis aerarii publici Saxonici potestatem tribuunt, quum nequaquam eo consilio fuerit introductam, vt quaestiones de immunitate ex eo diiudicarentur. Verum oppressa Saxoniam, vt monet Cel. EINERTVS,\*) tempore belli tricennalis omnis generis calamitatibus, quum post finitum bellum, anno 1640 noua in dicenda essent tributa, id non poterat, ob plerorumque praediorum apparentem ruinam, secundum eum sexagesimarum numerum fieri, qui ante hoc funestum bellum obrinuerat, neque vero conducere videbatur, nouum librum censualem conficere, quod factum fuerat antea singulis nouis indictionibus, potius visum est, vnum ex antecedentibus catastris, quod nec nimis acerbum, nec nimis tenue esset, eligere, inter quae praecipue placuit, illud de anno 1628. Ex his intelligitur, saepe dictum librum censualem de anno 1628 non nisi in subsidium, deficiente tunc alio, fuisse receptum, neque vlllo alio consilio, quam vt sciretur, et in futurum pro certo constitueretur, quotnam sint cuilibet praedio tunc collationibus subiecto, plenae sexagesimae secundum quarum numerum tributa indicerentur, quod etiam probat instructio steuralis de anno 1687 et 1716. b) Ex hoc regulae loco ponere possumus, huius catastro magnam quidem esse auctoritatem, sed restrictam et in aliis causis diiudicandis adhiberi non posse, nisi in iis, quarum gratia recipiebatur. Inde manifesto patet, id catastrum solummodo ad eos fundos applicari posse, qui in ipso scripti erant, quippe tunc sexagesimarum certo numero onerati, non autem ad alios, quorum mentio in eo facta non erat. Inde etiam venit, quod quotiescunque Electores de hoc catastro loquuntur, c) id non alio sensu pro normali haberi volunt, quam quatenus de plenis sexagesimis agatur et ne vlli praedio plures imponantur, quam in eo impositae sint, quod aperte supponit, hos fundos in illo

a) l. c. p. 11.

b) Cod. Aug. Tom. II. p. 1518. et 1642.

c) Haec loca fusius collecta sunt in quaestione III. adiecta citato iam libello, der Steuerbeschwerdeschrifft.



illo catastro vere scriptos esse. Eodem modo Ordines Saxoniae id catastro considerarunt. vti comitia anno 1728. <sup>d)</sup> conuocata, optime docent, quibus hunc libellum quidem ratione sexagesimarum plenarum pro norma retinendum iudicarant, in iis autem praediis, quae tunc collectis non fuissent subiecta, adeoque in illo catastro ob eandem causam minime scripta, antiquorum censuum rationem esse habendam, censuerunt. Cui quidem Ordinum sententiae FRIDERICVS AVGVSTVS Rex, assentire non dubitauit, ceu patet ex edicto d. 5. Ian. 1732. proposito, <sup>e)</sup> quo omnes fundi libro censuali d. a. 1628. non comprehensi, sexagesimis onerari iubentur; quae res maximo sane documento esse potest, catastro saepius iam nominatum, nullam plane in diiudicanda immunitatis quaestione vim habere. Quae quidem sanctio repetita est, rescripto d. 26. Febr. 1734 dato, <sup>f)</sup> ita vt ibi disertis verbis dicat legislator, ea omnia praedia tributis alias obnoxia, quae libro censuali d. a. 1628. non sint comprehensa, ad contributionem, *zur Mittheilheit*, esse vocanda, ac in eo negotio vltra annum 1618. ad primos vsque saeculi decimi septimi annos inuestigando esse progrediendum; id quod denuo ipsi Ordines confirmarunt, comitiis Dresdensibus anni 1741. habitis, idem publice profitentes, <sup>g)</sup> quacuis praedia libro censuali d. a. 1628. haud comprehensa, sexagesimis esse oneranda, illudque catastro non nisi plenarum sexagesimarum aequalem esse vocandam. Quid? quod auctore WABSTIO <sup>h)</sup> anno 1712. ipse summus Senatus, coram quo prouocatione certatur, in causa *Goeppert* contra *Neumann*, cum alter litigantium catastro illo fundamentali se defenderet, alteri probariorem contrarii concessit, eoque ipso illud pro lege et norma vniuersali haberi non posse, contendit. Nequaquam igitur audiendi sunt, qui omnem omnino in rebus steuralibus inuestigationem, quae annum 1628. superet, abiiciunt, ac eam, quasi legibus, et rationi publicae Saxonicae contrariam, atque adeo vniuersae patriae perniciosam

H 2

sam

d) v. *Acta comit. dicti anni, Bewilligungs-schriefft* §. 7.

e) *Cod. Aug. Contin. Tom. II. p. 151.*

f) *Cod. Aug. Contin. To. II. p. 166.*

g) In Monitis ad formulam Edicti, de nouis catastrois conficiendis, promulgandi.

h) *Histor. Nachricht vom Churfürstenthum Sachsen. Sect. II. C. 7. §. 14.*

sam, improbare solent, i) praesertim cum plerumque nonnisi pro-  
prij commodi causa ita sentire videantur. Sed haec res non est mei  
iudicii, tetigi tantum hanc quaestionem propterea, vt docerem argu-  
mentum aduersariorum a catastro normali sumtum, non esse vali-  
dam, ad meam sententiam debilitandam. Et quomodo quaeso ei  
possit vlla validitatis species affingi, cum si omnia reliqua tacerem,  
solum id, quod supra k) demonstraui, nempe ab anno 1628. omnem  
praescriptionem multoties per Ordinum repetitas concessiones va-  
riaque promulgata edicta tributaria interruptam fuisse, in hac causa  
ad debellandum sufficiat.

## §. XIII.

γ) Quoad edicta tributaria de anno 1646. et 57.

At ex his ipsis, quae modo nominavi, edictis tributariis, aduer-  
sarii praescriptionem immunitatis a tributis defendere student, ac in  
quibusdam eorum, ipsius praescriptionis fundamentum inueniri putant.  
Prouocant autem praecipue ad ea quae a. 1646. et 57. a) prodierunt, ac  
praesertim his verbis: *welche aber derhalben sonderbahre Befreyung vor-  
zuweisen, oder über Menschen Gedenken an Landsteuern niemals etwas  
verrichten dürfen, die sollen bey dieser ihrer Freyheit gelassen werden,*  
immemorialis temporis praescriptionis magnum fortissimumque praes-  
sidium inesse, sibi persuadent. Ast si paullo accuratius rem consi-  
deraueris, statim apparebit, verba ista, de priuilegiis tantum, non de  
praescriptione esse intelligenda. Etenim, primo notandum legisla-  
torem non dicere: *die über Menschen Gedenken keine Landsteuern ver-  
rechtet, verum, die über Menschen Gedenken keine verrechteten dürfen;*  
illa praescriptionem, quae nuda possessione efficitur, denotatura es-  
sent, haec autem indicant, praeter possessionem aliud quid adesse,  
vnde *ius* illud liberationis *to dürfen* descendat; hoc est priuilegium,  
quod solum legislator ad exemptionem valere voluit, neque tamen  
omnis vel recentiora priuilegia, verum ea tantum, quae tam anti-  
qua sunt, vt memoriam hominis excedant, vnde vox *oder* hic ma-  
gis

i) cf. dicta Quaest. III. adiecta der Steuerbeschwerdeschrift.

k) §. 4. Sect. II.

a) Cod. Aug. T. II. p. 1442. et 1470. §. Ausländische Personen.

gis conjunctionem, quam disiunctionem significat, quod saepius fieri scimus, alias enim dici debuisset: *oder durch Verjährung über Menschen Gedenken*, ad distinguendam longam possessionem a scripto privilegio. Et quomodo, si haec verba de praescriptione interpretari velis, combinari possunt, cum instructione anno 1646. exactoribus tributorum data, <sup>b)</sup> qua, sub finem disertis verbis, iubentur omnes fundos, tributarios, quos inueniant in libris censualibus antiquioribus non scriptos, tamen sexagesimis onerare, quod fieri non potuisset, si sola possessio longaeua nihil soluendi eos liberaasset, tum enim exempti fuissent, siue catastro reperirentur inserti, siue minus. Deinde obseruemus, hic non de immunitate in posterum inchoanda, sed de perfecta iam per annos praeteritos sermone esse; cum autem hi in tempus tunc mox finiti belli tricennalis incidant, quomodo putemus, Electorem Saxoniae imprimis in allegato edicto d. a. 1657. praescriptioni adeo in causa publica fauisse, cui paullo ante totum imperium per tempus tricennalis belli omnem vim ac potestatem ab iudicauerat. <sup>c)</sup> Porro videmus Ordines proximis comitiis anno 1660. habitis, contra exemptiones fundorum tributariorum a collatione ad aerarium publicum valde declamasse. <sup>d)</sup> Sed tantum contra immunitates, tanquam rem aerario perniciosissimam declamabant, quas varii praediorum possessores sub Electore IO. GEORGIO I. per modum privilegii sibi comparare studuerant, nulla praescriptionis mentione facta, quod certo non omisuri fuissent, si et huic in proximis antecedentibus edictis tributariis a nominato Electore latis aliqua auctoritas tributa fuisset. Multo maius etiam damnum infertur aerario per praescriptionem, quam denegando solutionem incipere in omnium arbitrio versatur, quam privilegiorum, quae non nisi raro et paucis petentibus dari solent. Sed quomodocumque haec omnia sint, id tamen negari nequit, ea, quae aduersarii ex allegatis edictorum tributarium d. a. 1646. et 57. verbis pro sua sententia adducunt, mox mutata esse; cum enim procul dubio Elector IO. GEORGIVS II. videret, saepe dicta verba paternae legis aliquantum obscuriora esse, posseque partem eorum, praeter mentem legislatoris de

H 3

prae-

b) *Cod. Aug. Tom. II. p. 1450.*c) *Recess. Imp. d. a. 1654.*d) *Unvorgreifliches Gutachten derer Deputirten d. d. Dresdae d. 23. Jan-*

praescriptione intelligi, in proximo edicto feudali d. a. 1661. <sup>e)</sup> non solum ista verba: *oder über Menschen-Gedenken niemals etwas an Land-  
steuern verrecken dürfen*, plane omisit, imprimis cum nec in vllto ante annum 1646. reperiantur, sed etiam sequentia: *die sollen bey dieser ihrer Freyheit gelassen werden*, in haec: *die sollen an Unsre Ober-Einnahme gewiesen und daselbst ihrer habenden Instruction und jetzigen Landtags-Abschiede nach, beschieden werden*, mutavit. quod in reliquis omnibus, quae tractu temporis secuta sunt, servatum est, manifesto indicio, nullam omnino in fundis tributariis exemptionem locum habere, nisi, quae a summo, quod aerario praestit, Collegio, causa cognita, approbetur; adeoque solam non soluendi possessionem id efficere non posse, vnde ab hoc tempore contradictores ista edictorum d. a. 1646. et 1657. verba amplius allegare nequeunt. Caeterum sanctio allegati edicti d. a. 1661. sine dubio fructus fuit iam memoratae indignationis, ab Ordinibus in illius anni comitiis aduersus omnem immunitatem onerum declaratae, cui Elector assensum suum praebuit, simulque eodem anno 1661. decisione 65. se nulla exemptionis privilegia daturum, promisit. In qua lege, cum, ut supra vidimus, <sup>f)</sup> omnes de immunitate contractus priuatorum, ratione aerarii irritos esse iussisset, congruus profecto hic locus fuisset saepe allegata edicta tributaria etiam quoad praescriptionem abrogandi, si de hac illis quicquam sancitum fuisset.

## EPILOGVS.

Haec fere sunt, quae contra immunitatem a tributis per praescriptionem acquirendam dicenda duxi; In cuius disputationis exitu a lectoribus beneuolis dupliciter venia mihi oranda videtur, primo, quod forte, imprimis quoad rationem aerarii publici Saxonici plura et perfectiora, quam proposui, a me expectauerint, id, quod tum, meae in his rebus exiguae adhuc experientiae, tum arctis libelli academici cancellis condonabunt; deinde quod saepiuscule verbis non aureae latinitatis usus sum, quod eo excusandum puto, quod elegantia sermonis, quamuis alias admodum amabilis, semper perspicuitatis necessitati cedere debeat.

A. Auf

<sup>e)</sup> Cod. Aug. To. II. p. 1488.

<sup>f)</sup> §. 10. Sect. II.

A.

*Auf Leuterungs-Schriften und erfolgte Gesaetze in Appellations-Sachen derer Ältern I. G. S. als Geschofs-Einnehmers des Raths zu Görlitz, Klägers an einem, und D. I. T. T. fol. 98<sup>b</sup> Vol. Iae Inst. benannter Consorten, Beklagter andern Theils.*  
*Erkennet &c. &c.*

**N**ummehro in Ansehung Klägers 1ten und Beklagten 2ten auch 3ten Gravaminis aus denen Akten so viel zu befinden, daß des erstern Suchen wegen des von der S. S. Wiese in denen Jahren von 1695. bis zu Ende des 1737ten Jahres gefälligen Schoffes für schlechterdings unstatthaft nicht zu achten, noch ausserdem in voriger Instanz wohl appelliret, solchemnach auch Klägers übriges Suchen immassen es anbracht und schlechterdings nicht zu verwerfen, sondern es sind Beklagte nicht minder angeregten, in denen Jahren von 1695. bis zu Ende des 1737ten Jahres gefälligen Schofs Klägern zu bezahlen schuldig. Im übrigen bleibt es eingewandter Leuterung ungeachtet bey dem am 11. Septbr. 1777. eröffneten fol. 85. befindlichen Bescheide billig. *V. R. W.*

*Ratio Decidendi.*

Obwohl nach Sächsischen Rechten ordentlicher Weise wider Städte schon die 30 jährige Verjährung Platz greifet, Const. El. 6. P. II. gleichermassen annuae praestationes binnen rechts verjährter Zeit praescribiret werden mögen, Const. El. 2. P. II. auch einige Rechtslehrer, daß die bekannte L. 6. C. de praescr. XXX. vel XXXX. an. nur von denen tributis ad recognitionem superioritatis territorialis oder allenfalls blos von denen Landesherrl. Steuern zu verstehen sey, Klock de contrib. cap. 16. §. 17. sq. Berger Oec. lur. L. 1. t. 2. §. 15. vielmehr wider die öffentlichen Landes Abgaben wenigstens praescriptio immemorialis, aduersus tributa vero, etiam ordinaria praescriptio statt finde, dafür halten, Klock Libr. alleg. cap. 16. §. 24. sq. 41. sq. Philippi diss. de praescr. immunit. a collect. Leyser medic. ad Pand. Sp. 670. med. 17. welches auch in dem Reichs-Abschiede von 1548. §. 56. gegründet zu seyn, sowohl durch ein ehedem im Jahr 1699. gesprochenes fol. 293<sup>b</sup> sq. Vol. App. in Abschrift befindliches Urtheil bekräftiget zu werden scheint, allhier aber, daß der streitige Geschofs von dem von denen Beklagten in Besitz habenden S. Wiese seit dem Jahre

re

re 1695. bis hierher nicht entrichtet, auch bis zum Jahre 1737. nicht gemahnet worden, die Partheyen enig sind, sowohl Beklagte, daß der Rath bey dem von ihrer Mutter und Großmutter an. 1744. fec. fol. 278 b. 1q. der Appell. Acten erfolgten Widerspruche sich beruhiget, vorwenden, anbey die von Klägern angezogene fol. 182. Vol. Iae Inst. in Abschrift befindliche Willkühr weder pro lege prohibita noch poenali, wider welche ebenfalls keine andre Verjährung als über Menschen Gedenken gelte; um so viel weniger zu achten, da diese darinnen nicht untersaget worden, im übrigen bona fides schon bey der 30 oder 40 jährigen Verjährung praesumiret wird, so viel aber den von 1695. bis 1737. rückständig gebliebenen Schoss betrifft, daß wenn auch schon der Rath das Recht, demselben zu fordern durch Verjährung nicht verlohren, doch wenigstens daß angeregter Rest nach Ablaufe so vieler Jahre, für stillschweigend erlassen zu halten, und daher bis zu der ao. 1737. von neuem erfolgten Interpellation weiter nicht gefordert werden möge, es das Ansehen gewinnt;

Dennoch aber und diweil nach gemeinen Rechten einige Befreyung von denen öffentlichen Abgaben durch irgend einige Verjährung nicht erlanget werden kann, l. 6. C. de praescr. 30. vel 40. an. l. 7. C. de fund. rei priu. Rechenberg diss. de vetustatis aux. reip. quoad collect. non opp. Lyncker Resp. 25. G. C. Batineller diss. de immunit. ab oner. publ. worin insonderheit das zuerst erwähnte Gesetz in ganz allgemeinen Ausdrücken redet, daß aber solches in Teutschland nicht recipiret sey, von Beklagten keinesweges beygebracht, die Sache auch an und für sich desto billiger ist, je weniger das gemeine Wesen, wenn ein jeder denen zu dessen Erhaltung schuldigen Abgaben durch Negligenz der Einnnehmer oder sonst sich entziehen könnte, bestehen würde, wannenhero auch schon nach gemeinen Rechten alle derer Privat-Personen darauf gerichtete Verträge, welche doch sonst in ihrer Wirkung denen Verjährungen gleich kommen, für unkräftig zu achten, tot. tit. C. fund. sine censu. welches auch nachhero die Chur-Sächsischen Gesetze bekräftiget, Dec. El. 65. Mand. vom 26. Jan. 1732. Dec. nov. 17. de ao. 1746. und solche pacta sowohl unter den Contrahenten als in Rücksicht auf die Abgaben, und darunter auch insonderheit auf den denen Gerichtsherrn zu entrichtenden Schoss für ungültig erkläret, so daß sogar in Ansehung dergleichen pactorum, wenn sie nach dem Jahre 1665. geschlossen, alle Verjährung untersaget; alleg. Dec. Nov. 17. mithin  
der

der tacitae remissioni nicht mehrere Wirkung beyzulegen; wozu an-  
 noch allhier des Raths zu Görlitz vom Kayser Siegismund und Mathia  
 im Jahr 1434. und 1489. erhaltene Privilegia fol. 184. und 187<sup>b</sup>  
 Vol. Iae Iust. kommen, nach welchen alle von demselben hergebrachte  
 Rechte und Freyheiten per non vsum nicht verlohren gehen sollen, wor-  
 unter das Recht von denen im Weichbild gelegenen Grundstücken Ge-  
 schofs zu fordern, um so mehr ebenfalls zu rechnen, da solches allem  
 Ansehen nach nicht allererst aus der Willkühr vom Jahr 1565. seinen  
 Ursprung hat, sondern eine nach teutschen Rechten und Gewohnheiten  
 bey denen Stadträthen durchgängig hergebrachte Abgabe ist, so auch  
 bey dem Rathe zu Görlitz, wie ex fol. 270<sup>b</sup> Vol. Appel. zu ersehen,  
 schon lange vorher gegeben worden, überdem angeregte Willkühr einen  
 jeden Besitzer die zu verschaffenden Grundstücken selbst bey denen zum  
 Geschoffe Verordneten aufzulegen, also wenigstens der Be-  
 klagten Gros-Vater, als er im Jahr 1718. das Guth O. M. benehßt  
 der streitigen Wiese angenommen in gleicher Obliegenheit gestanden,  
 mithin wenn auch allhier auf einig Verjährung Rücksicht zu nehmen wä-  
 re, solche allererst von dieser interpellatione et admonitione legis an-  
 zulaufen anfangen können, weniger allhier die praescriptio immemo-  
 rialis, von welcher allein der angezogene Recessus Imperii, und noch  
 dazu in einem besondern Falle redet, eintritt, immasen der streitige  
 Schofs zuletzt im Jahr 1695. gegeben worden, nachdem selbiger zu-  
 vorhero ebenfalls seit 40. Jahren im Reste verblieben, mithin man schon  
 damalen keine praescription attendiret, wannenhero sec. fol. 247. sq.  
 254<sup>b</sup> 255. 259<sup>b</sup> 262<sup>b</sup> 263. 270. und 281. sq. Vol. App. im  
 Jahr 1737. 1738. 1743. und 1744. die damaligen Besitzer mehrbemel-  
 ter Grundstücke mit Rechte ebenfalls an oftbemeldte Abgabe erinnert,  
 ja so gar wie ex fol. 256. iunct. fol. 259<sup>b</sup> sq. ej. Vol. App. abzu-  
 nehmen, in bemeldten 1743sten Jahre auf einen gewissen Tag zur Agni-  
 tion des streitigen Schoffes sub poena confessi et conuicti nec non  
 agniti vorgeladen, und die Auflage der M. Curatori insinuiret worden,  
 überhaupt durch die bloße Unterlassung ihrer Schuldigkeit die Besitzer  
 der Sch. Sch. Wiese sich deren zu entziehen um so viel weniger vermocht,  
 je mehr es ihnen an dem in allen Verjährungen nöthigen facto praescri-  
 bentis ermangelt; im übrigen und wenn das Recht selbst den Geschofs  
 zu fordern, durch Verjährung nicht verlohren gegangen, ein gleiches  
 auch von dem in jeden Jahre gefällig gewesen zu sagen, da so wohl

dar, was die Römischen Gesetze von der praescriptione annuarum praestationum in singulos annos an die Hand geben, als auch die Sächsischen Rechte in diesem Falle von einer praescriptione unica vrrordnen, auf die öffentlichen Steuern und Abgaben nicht anzuwenden, zumal Constitutio El. 2. P. II. blos von Contracten und letzten Willen redet, endlich daß der Rath bey dem Beklagten an. 1744. erfolgten Widersprüche sich beruhiget habe, nach der fol. 270. Vol. 2ae Inst. ertheilten Resolution nicht gefaget werden kann; und die im Jahr 1692. zu Görlitz gewesene Commission, bey welcher Gelegenheit obangezogenes Urtheil gesprochen worden, sec. fol. 292. Vol. Appell. nur die damalen mit Steuer-Schocken wirklich belegten Grundstücken, keinesweges aber die gänzlich befreyeten zum Vorwurfe gehabt;

So ist &c. &c.



B.

Wir Friderich vnd Balthasar von gottes gnaden Landdegraw zu Dhoringen Marggraw zu messen inn dem Osterlande vnd zu Landsperg, Grauen zu Orlamünd vnd Herrn des landis zu pflsne. Bekennen vffentlich fur Vns vnsre Bruder Ludwigen vnd Wilhelm vnsre vnd ir erben. Vnd thun kunth allen den die disen briff sehen heern oder lesen das wir von den bestehenden Leuten den Burgern gemeinlich zu Leipzig vnsern lieben getrawen vnd der stat doselbes solcher bethe als sie vns üzo zusewre vnsre schulde erlobet vnd gegeben habenn, Nymmer ewiglichen genomen noch gefordern sollen noch sie hinwort mit solcher bethe zu keiner Weise besweren wollen vnd habenn globt vnd globen Inen das in geter ewen von vnsern vnsre egnante Bruder vnsre vnd Irer erben wegen an arglist stet ganz vnd unverbrochentlichen zu haldem, vnd habenn wir Friderich vnd Balthasar obgnanten Vnsrer Fürstlichen grossen Innsigel zugezeugnis mehrerer sicherheit an disen brüwe lassenn henngen; Darruber sich vnsrer egnit. Bruder Ludwig vnd Wilhe'm verbunden habenn, Dieser briue ist gegeben Zu Aldenburg Nach Crists geburt Dreyzehntundert Jahre In dem sechs vnd sunfzigstenn Jahre an dem Dorstag vor dem heiligen pfingstag.

I 2

C. Xa

Xaverius &c. Wir mögen euch auf euer, wegen angeordneter Einziehung des dem Ritterguths S. ehemals zugestandenen Trank-Steuer-Fixi am 28. April 1767. und 27. Julii a. c. erstattete unterthänigste Relationes, hierdurch nicht verhalten, was maassen an Uns unmittelbar S. F. E. Frhr. v. F. wegen des vorerwehnten Trank-Steuer-Fixi sich Supplicando verwendet, und seine Vorstellung hauptsächlich darauf, das er und seine Vorfahren mit sothanem Fixo beliehen worden, mit hin solche als pars Feudi, ohne sein Verschulden nicht entzogen werden könne, gegründet. Wie aber dieses Anführen, nach eingezogener nähern Erkundigung, in vielerley Rücksicht für hinreichend nicht angesehen werden mag: Als lassen Wir es bey Unserer Resolution vom 28. Novbr. 1765. dergestalt bewenden, das mehr gedachtes S. Gnaden-Genanntes von Zeit der vorigen Bewilligung an, jedoch mit Erlaß derer Fünff ersten Trank-Steuer-Termine, für aufgehoben zu achten. Ihr habt also, wie Wir in Vormundschaft Unsers Herrn Vatters des Churfürsten zu Sachsen Lbden hierdurch gnädigst begehren, deme gemäß die weitere nöthige Vorkehrung zu treffen. Daran geschiehet Unsere Meynung. Datum Dresden, am 28. Novbr. 1767.

## CORRIGENDVM.

Plag. E pro pag. 54 — 60 leg. 34 — 40.




Leipzig, Diss., 1779 K-Z

X 237 1913

ULB Halle  
005 433 703

3







9853

No. 1023.

16  
PRAESCRIPTIO  
IMMUNITATIS A TRIBVTIS  
PRAESERTIM QVOAD  
AERARIVM PVBLICVM SAXONIAE  
IMPVGNATA

DISSERTATIO  
QVA  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE

D. XV. IVLII MDCCLXXVIII.

AD SVMMOS IVRISPRVDENTIAE HONORES  
VIAM SIBI PARAT  
CAROLVS WILHELMVS WINKLER  
LIPSIENSIS  
I. V. BACC. ET NOT. PVBL. CAES.

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

